

**ACTA
ACADEMIAE
VELEHRADENSIS**

**ANNUS XV.
FASC. 1.**

OLOMUCII 1939

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 Kč, pro externis 40 Kč.

Redactores: Prof. dr. *Jos. Vašica*, msgre *Frant. Jemelka*, prof. dr. *Jos. Matocha*, collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Úřednická 7.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*

Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. *Grivec*, Ljubljana; dr. Jos. *Slipyj*, rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. *Salaville*; prof. dr. M. *Jugie*; dr. Georgius *Hofmann*, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. *Ammann*, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus *Spáčil*, dr. Thomas *Kurent*, S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas *Živković*, prof. univ. Zagreb; dr. Rochus *Rogošić*, prof. theolog. Makarska; dr. Ignatius *Šwirski*, prof. univ. Wilno; dr. *Špurek*, prof. theolog. Obořiště; dr. Ant. *Salajka*, Praga.

Contenta in fasc.: 1.

	Pag.
Dr. Joannes Chrys. <i>Jaroš</i> , C.ss.R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos	1
P. G. <i>Hofmann</i> S. J. Documenta de theologis concilii Florentini	65
Varia. Dies pro Oriente Christiano	74
De anniversario concilii Florentini	77
Activitas s. Ordinis s. Dominici in terris s. Venceslai ab anno 1919	80
Memento mortuorum	83

Acta Academiae Velehradensis

Tomus XV.

A. D. 1938.

Fasc. 1.

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, RČS.

THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 175/39.

IMPRIMATUR

Olomucii, 8. III. 1939.

† LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C.ss.R.

SECTIO SECUNDA

EVOLUTIO IURIS MATRIMONIALIS BULGARICI

CAPUT I.

FLUCTUATIO INTER DISCIPLINAM MATRIMONIALEM OCCIDENTIS AC ORIENTIS INFLUXUS ECCLESIAE LATINAЕ

Articulus I.

Fragmenta ex iure matrimoniali Bulgarorum praechristiano.

Prima crepuscula iuris Bulgarorum tempore paganismi in te-nebris disparent et nonnisi per inductionem iuris historici aliqua ex eodem cognosci possunt. Quodsi aliquas saltem normas ex iure matrimoniali praechristiano reconstruere velimus, distinguendum est imprimis inter duo elementa ethnica praecipua,¹⁵⁵ ex quibus natio Bulgarica orta est; distinguendum est scilicet inter Bulgaros Mongolos stirpis Finnicae et Bulgaros Indoeuropeos Slavos.

§ 1. Pro Bulgaris Mongolis habentur quidem quaedam „leges

regiae”, idest codex poenalis Krum, ducis populi Bulgari, nondum slavisati, sed iuxta probabilem sententiam agitur de iure consuetudinario tunc vigente, tardius tamen conscripto.¹⁵⁶ Inter paucas dispositiones, quas continet, nihil cavetur de matrimonio. Quamvis autem nulla possideamus testimonia de Bulgaris stirpis Finnicae ex tempore, quo adhuc apud flumen Volgam degebant, nihilominus ex testimoniis posterioribus necnon ex iure consuetudinario illorum populorum qui tamquam populi superstites habentur Bulgarorum-Mongolorum: Ceremissorum scil. et Mordvium, aliqua saltem deducere possumus.¹⁵⁷

Matrimonium initiari solebat per effectivam subiectionem potestati mariti. „*Filiae earum adhuc virgines*“ refert Abu Hamid Andalusy de Bulgaris apud Volgam degentibus saec. XII „*domo exire solent capite detecto ita ut quicumque faciem earumdem inspicere possit; si quis (iuvenis) aliquam earumdem uxoremducere intendit iniicit velum in caput ipsius, quo facto ipsa coniux eius fit, quin sese opponat*“.¹⁵⁸ Quia usque ad saec. XVIII apud Ceremissos, nationem, uti supponitur, maxime propinquam Bulgaris Finnicis *raptus erat modus ordinarius* matrimonii ineundi,¹⁵⁹ ita ut adhuc in ultimo decennio saeculi elapsi in districtu Ufa matrimonia per mutuum pactum inita omnino exceptionalia fuerint,¹⁶⁰ iure supponere licet raptum et non emptionem-venditionem matrimonium initiandi ordinarium modum constituisse. Etiam polygamiam (polygyniam) apud Bulgaros Finnicos exstitisse plures attestantur¹⁶¹ quod erat, uti videtur, phaenomenon sat ordinarium. Tamen *relationes sexuales extra matrimonium et adulterium mulieris considerabantur tamquam delicta* et morte puniebantur. Characteristicum hac de re est testimonium Ibn Foszlan qui Bulgaros apud Volgam degentes visitavit, postquam pars eorundem religionem Musulmanorum iam receperat (saec. XII). „*Ad sese lavandos*“ refert Ibn Toszlan „descendunt tum viri tum mulieres indiscriminatim in flumen nudi, quin aliquo saltem modo se contegant. Nullum illicitum commercium inter se patrant. Quodsi quis fecerit, quicumque ille fuit, alligatur per manus et pedes ad terram et corpus eius per securim in duas partes dividitur. Eadem poena plectitur mulier culpabilis (adultera). Ego multum conatus sum, ut mulieres aliqua saltem veste cooperian-

tur, quotiescumque ad sese lavandas cum viris in flumen descendunt, sed in vanum!”¹⁶² „Si quis Slavus” attestatur Abu Hamid Andalusy de Bulgaris Finnicis saec. XII apud Volgam degentes, quos per errorem Slavos appellat „insultat ancillam aut infans alicuius, confiscantur omnia bona, quae possidet; quodsi pauper sit, liberi eiusdem venduntur; quodsi liberis careat, venditur ille ipse in servitutem, in qua remanet tamdiu, quousque ab aliquo non redimatur”.¹⁶³

Hac alta et primitiva moralitate non obstante, videntur Bulgari-Mongoli non observasse omnia impedimenta iuris naturalis.

Ita impedimentum aetatis haud semper observatum fuisse videtur. Nam adhuc saeculo XVIII matrimonia inter virum sexen-nem vel septennem et mulierem iam adultam in frequenti erant usu apud Ceremissos et Mordvenses.¹⁶⁴ Huius abusus existentiam etiam in certis regionibus Bulgariae Occidentalis vidimus. Nihilominus idem factum aliud substratum in iure Bulgarorum stirpis Finnicae habere videtur. Apud Bulgaros occidentales erant eius-modi conviventiae logica consequentia bifarii aequa principalis finis coniugiorum, dum e contra apud Ceremissos et Mordves emanant ex licentia praesidis „klan” (organisationis familiaris monarchice ordinatae) necnon ex *inobobservantia impedimenti consanguinitatis*.¹⁶⁵ Vaga terminologia, quibus designantur consanguinei apud hodiernos Ceremissos et Mordves nationes, uti diximus, superstites Bulgarorum stirpis Finnicae, inobbservantiam impedimentorum necessitudinis insinuat. Praeter patrem et matrem omnia membra familiae non secundum gradum naturalis cognationis, sed secundum aetatem in duas classes dividuntur. Cl. Smirnov, qui ius consuetudinarium horum populorum collegit, scribit de Ceremissis: „Nomen I z ja designat simul avunculum minorem natu ac patrem, porro fratrem, fratri filium necnon consobrinum maiores natu; verbum šolö designat fratrem iuniorem, fratri filium minimum natu et fratris neptem, porro consobrinum minorem natu et consobrinum ex fratre germano; nomen aka et šužar significant idem ac nomina izja et šolö relate ad feminas.”¹⁶⁶ Item apud Mordves nulla datur differentia inter consanguineos aut affines: ita v. g. E r ' ve designat sororem non propriam, socrum, sponsam, secundam uxorem et mulierem maritatam in

genere; nomen Patja patruum minorem natu patre, fratrem maiorem natu, consobrinum etc.¹⁶⁷ Etiam hodie Ceremissi pagani (non Musulmani) permissum esse matrimonium inter fratrem et sororem putant.¹⁶⁸

§ 2. E contra apud Bulgaros Slavos *impedimentum consanguinitatis rigorose semper observatum est*: quod probant:

Denominationes minutae necnon antiquissimae singulorum membrorum familiae; *minutae*: nam nulla earundem comprehendit plura membra familiae simul: *antiquissimae*, quia omnibus *Slavis communes sunt*.¹⁶⁹

Ad quaestiones exploratorum iuris popularis sive apud Bulgaros orthodoxos sive apud Bulgaros Musulmanos (!) usque ad quem gradum matrimonia inter consanguineos prohibita essent in regionibus in quibus ius consuetudinarium hac in re cum iure scripto nondum coaluerat, populus respondit: „Usquedum cognoscitur eosdem esse ex una gente etiam ultra decimum gradum computationis iuris consuetudinarii.”¹⁷⁰

Ceteroquin organisationis populi in „zadrugas” et gentes maxime intererat, ut numero cresceret et ita ceteris fortior evaderet; proinde matrimoniis inter eiusdem gentis membra vix unquam favebatur. XXIX et XXXIX responsum Nicolai I Papae nullo modo probant inobservantiam huius impedimenti in Bulgaria, uti voluit cl. Blagoev.¹⁷¹ Rex Borisius et commisio ab eodem Romam missa de differentia solum inter disciplinam Byzantii et ius Ecclesiae Latinae interrogat.

Quamvis etiam apud Bulgaros Slavos matrimonia per raptum iniri solerent, nihilominus hic *modus* consideratur, saltem saec. IX iam *exceptionalis* et substitutus est per mulieris emptionem-ventionem. Hoc clare duo responsa Nicolai I Papae insinuant: „Similiter de his qui virum ac feminam rapuerint permittimus (i. e. ut secundum leges civiles puniantur).” „Praeterea sciscitamini, si licet exhibere vobis quem admodum prius in dotem coniugibus vestris: aurum, argentum, boves, equos etc., quod quia nullum peccatum est et leges hoc connivent et nos, ut fiat, minime prohibemus . . .” (Resp. 32 et 49.) Raptus tamquam ordinarius matrimoniī ineundi modus separatam, plene autonomam vitam familiarem necnon relationes hostiles inter singulas gentes supponit.

Cum Bulgari autem inde ab anno 679 unicum Civitatem iam efformavissent et magnas victorias in frequentibus bellis contra Byzantium obtinuissent, hostiles inter singulas familias patriarchales et singulas gentes et tribus relationes certe iam disparuere.

Annalista Byzanini ac historici necnon scriptores Arabes Bulgarorum integritatem moralem in vita coniugali et familiari admirantur. „Feminae illorum“ adnotat Leo in suis Tacticis „prae ceteris modestae feruntur. Multae enim virorum suorum mortem graviter ferunt, tamquam si sua esset et seipsas suffocant. Vitam enim solitariam ac viduam ferre non possunt.“¹⁷²

Hoc factum tamen alio etiam modo potest explicari. Quia secundum populorum paganorum credentiam cuius vestigia hucusque in mythologia populi Bulgarici remanserant: homo in vita futura idem matrimonium continuat, cibis armisque indiget, antiqui Slavi pagani mulieres mortis mariti occasione occidere solebant et cibos, arma, ornamenta necnon uxorum cadavera in sepulcro deponebant, ne quid in vita futura viro deesset.¹⁷³

Mulieres vero haud raro, quin ab aliis crudeliter occiderentur, seipsas suffocabant. Quidquid est de vero huius facti significatu, certum est *impedimentum ligaminis* tantummodo mulieres obligasse. Ad quaestionem Bulgarorum: „Si liceat uno tempore habere duas uxores... quod si non liceat... apud quem inventum fuerit, quid exinde faciendum?“ respondet Nicolaus I Papa „Duas tempore uno habere uxores nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex christianorum illam permittit... Itaque apud quem uno tempore duae uxores inveniuntur, interim priore retenta posteriore cogatur amittere: insuper et poenitentiam, quam loci sacerdos praeviderit (praeceperit) compellatur suscipere...“ (Resp. 51) Etiam vir pro adulterio puniebatur, sed tantum si cum coniugata peccaverat.¹⁷⁴

Polygyniae apud Bulgaros saeculo IX. existentiam epistula Photii ad regem Borisium seu Michaelem et Lex iudicialis Bulgaria (Zakon sudnym ljudem) probant.¹⁷⁵ Nihilominus *vix ordinaria erat unquam polygynia inter Bulgaros Slavo's*: partim propter probabilem maiorem virorum numerum, partim propter organisationem zadrugalem quae nonnisi exceptionaliter huiusmodi polygamica coniugia permittere poterat, secus corrueret et sub ad-

spectu sociali (propter praeponderantiam numericam mulierum, quae ex diversis alienis familiis provenientes elementa potius centrifuga zadrugae repraesentant), et sub adspectu oeconomico (vix tantam bonorum copiam possidebat, ut unusquisque vir plures mulieres acquirere posset). *Vinculum matrimonii certe solubile* habebatur.¹⁷⁶

Servitus secundum antiquum ius Bulgarico-Slavum matrimonii *impedimentum probabilius non constituebat*. Primo quia non erat perpetua: secundum Strategica Mauritii (XI, 5): „Qui ex captivitate apud illos (Slavos) sunt, retineri non solent in tempus indefinitum in servitute, sicut apud alios populos fieri solet, sed post certum tempus, prout iis (captivis) placuerit, possunt aut in patriam reverti, aliqua compensatione pro seipsis praestita, aut remanere tanquam liberi et amici eorundem.“ Secundo quia iuxta Procopium¹⁷⁷ servi apud Slavos etiam ad militiam admittebantur; ius autem militiae supponit (saltem plerumque) apud antiquos populos in vita civili privata aequiparationem. Tamen haec duo testimonia peremptoria dici nequeunt.

§ 3. Pauca sunt revera documenta, ex quibus cognoscere possumus normas iuridicas, quae matrimonium inter Bulgarios ante christianaे religionis receptionem ordinabant. Nihilominus saltem qua probabile affirmare possumus *ius matrimoniale Bulgarorum stirpis Finnicae vix aut ne vix quidem in accidentalibus influxum exercuisse in ius matrimoniale Bulgarorum Slavorum*.

Hanc conclusionem iuris matrimonialis consuetudinarii vigen-tis saec. XIX apud Ceremissos et Mordves cum iure Bulgarico nationali eodem saeculo collecti comparatio insinuat. Praeterea Bulgari Finnici, quia multo minus numerosi erant et inferioris culturae quam Bulgari Slavi, necessario magis receperunt, quam dederunt. Bulgari Finnici qua milites et militum duces mox inter nobiles nationis adnumerati sunt; proinde post christianaे religionis receptionem iuri matrimoniali Byzantino oboediebant. Secundum chronistas et historicos Byzantinos populus Bulgaricus Slavus maximam ostendebat reverentiam erga proprios usus ac consuetudines, quas tamquam ius divinum aestimabat quibusque in sua iurisprudentia populari gubernari desiderabat, etiamsi illas cognosceretur inferiores in relatione ad ius extraneorum Byzant+

tinum optime excultum.¹⁷⁸ Quodsi Bulgari Slavi iuris magis exculti receptionem recusabant, a fortiori iuris inferioris normas seu normas iuris matrimonialis Bulgarorum stirpis Finnicae vix receperunt.

Articulus II.

Fluctatio inter disciplinam matrimonialem Orientis et Occidentis.

Sicuti ius consuetudinarium Slavonicum iuri matrimoniali Finnicu praevaluit, ita etiam ius ecclesiasticum Byzantium in Bulgaria iuri matrimoniali Latinorum praevaluit.

Notum est ex ipsa S. Scriptura christianam religionem in regionibus hodiernae Bulgariae, i. e. in Macedonia, Thracia et Moesia inferiore iam temporibus SS. Apostolorum diffundi coeptam esse; quam vero semper diffusam remansisse multa probant testimonia, praesertim concilium Sardicense (a 343) prope hodiernam Sophiam celebratum, concilium Costantinopolitanum I (a. 381) et Chalcedonense, quae de iurisdictione in Thraciam loquuntur¹⁷⁹ necnon numerosae litterae, quibus Romani Pontifices post annum 389, quando imperator Gratianus Illyricum imperatoribus Costantinopoleos cessit, iurisdictionem ecclesiasticam in Illyricum sibi vindicabant contra aspirationes Patriarcharum Costantinopoleos, qui volebant, ut vicissitudines limitum inter Imperium Romanum Occidentis et Orientis reciperentur etiam pro delimitatione inter Patriarchatum Romanum et Costantinopolitanum.¹⁸⁰

§ 1. Primi Slavi, qui sub fine saec. V et initio saeculi VI huc venerant,¹⁸¹ sine ullo dubio a clero et Byzantino et Romano partim saltem ad christianismum conversi sunt. Byzantini missionarios suos in haec territoria non tantum rivalitate adversus Ecclesiam Romanam ducti, sed etiam desiderio icti emittebant, ut novi barbari per conversionem ad fidem christianam a devastationibus Imperii cessarent.¹⁸²

Slavi, quamvis ceteris populis numerosiores essent, unicam tamen nationem politicam non efformabant, sed in tribus dividebantur quae fraternitates iuxta Procopii verba appellabantur: „Scla-

veni non uni parent viro, sed ab antiquo in populari imperio vitam agunt ac propterea utilitates et damna apud ipsos in communi vocari solent".¹⁸³ Saeculo VII primi exercitus Bulgarorum Finnorum advenerunt, qui mox novem tribus Slavonicas in unicam civitatem unierunt (a. circiter 679). Quorum aliqui iam vi unionis cum Slavis christianam religionem receperunt.

Praeter activitatem missionariorum Vicarius Thessalonicensis Latini et Patriarchatus Costantinopolitani Byzantini alter fons christianisationis populi Bulgarici, fons fortasse efficacior, erant continua bella: Captivi inter quos non deerant Episcopi, sacerdotes et monachi victores ad christianam religionem amplectendam alliciebant. Quae bella cum quam plurimum contra Byzantinos gesta essent, sensim sine sensu inter Bulgaros cum religione christiana etiam disciplina Byzantina diffundebatur. Praecipue sub imperio regis Krum (802—814) tanta pars nationis captivorum Byzantinorum merito christianismum amplexa est,¹⁸⁵ ut filius Krum Omortag (814—831) praedicatorum novae fidei persequi cooperit.¹⁸⁶

Nihilominus etsi *contactus cum Byzantio*, hinc etiam cum eiusdem institutis iuridicis et canonicis, *frequentior* erat quam cum institutis canonicis iuris Latini, *tamen influxus iuris ecclesiastici Occidentalis usque ad annum 870 in Bulgaria nunquam deerat* idque etiam post a. 731, cum Illyricum per unilateralem imperatoris Byzantini Leonis III Isaurici decisionem Patriarchatui Constantinopolitano addictum est. Ita constat e documentis historicis sacerdotem quendam ritus Latini Paulum nomine, antequam missionarii Roma advenissent, populum baptizasse.¹⁸⁷

Differentiae utique quae tunc temporis existebant inter utrumque sistema iuris canonici etiam quo ad leges matrimoniales non erant paucae. Maxime diversa praxis Ecclesiae Latinae et Ecclesiae Byzantinae in *divortiis concedendis* sentienbatur. Dum enim clerus Byzantinus permittebat divortium perfectum ex adulterio, professione religiosa et fortasse etiam ex aliis causis adulterio et morti physicae assimilatis, clerus Latinus, saltem quatenus Roma proveniebat, indefesse indissolubilitatem vinculi matrimonialis defendebat.¹⁸⁸ E contra dum clerus Byzantinus *tertias et ulteriores nuptias fornicationes* seu non matrimonia decla-

rabat, clerus Latinus Doctoris Gentium (I Cor. VII, 39) libertatem et traditionem Ecclesiae Occidentalis a S. Hieronymo enuntiatam propugnabat.¹⁸⁹ Item clerus Latinus contra Byzantium *necessitatem benedictionis sacerdotalis ad valorem matrimonii negabat*, quamvis de facto uterque ritum liturgicum observaret.¹⁹⁰ Quoad *impedimenta necessitudinis* clerus Latinus severior ostendebatur: impedimenta consanguinitatis et affinitatis iuxta disciplinam Latinam usque ad septimum gradum obligabant contra VI. ex consanguinitate et IV. ex affinitate iuxta disciplinam Byzantinam.¹⁹¹ Impedimentum cognitionis spiritualis tum ex baptismo, tum ex confirmatione oriebatur, quae separatim, et quidem a solis episcopis conferri solebat.¹⁹² Certe admirationem saltem, si non scandalum populi Bulgarorum neophyti *diversa coelibatus clericalis* praxis causabat. Dum ab Ecclesia Latina subdiaconis continuatio matrimonii iam contracti non permittebatur, Byzantini non solum subdiaconis, sed etiam presbyteris infra biennium post ordinationem matrimonia contrahere permiserunt; populi admirationem probant duo responsa Nicolai I ad Bulgaros.¹⁹³

Praeter hunc biritualismum in disciplina mentem populi Bulgarii numerosi haeretici agitabant, uti ex responsis Nicolai I et ex epistula Photii elucet. Omnia haec, uti patet, verae profunda eque christianisationi iuris consuetudinarii pagani valde nocebant et causabant vel saltem causare discordiam in ipsa natione minabantur.

§ 2. Proinde Borisius rex una cum nobilibus nationis officialem conversionem decidit. Anno 864 Costantinopoli baptizatus, nomen Michael accepit. Utrum et quasnam collectiones iuris ecclesiastici, in quibus etiam ius matrimoniale continebatur, a Byzantio obtinuerit, non constat omni cum certitudine. Cl. Zlatarski¹⁹⁴ deducit ex responsis I, XIII, XXXVII, LXXVI Nicolai I Papae, in quibus rex desiderat collectionem canonum, leges civiles, libros poenitentiales et libros liturgicos, hypothesis: Bulgaros omnia haec iam possedit a Byzantio. Quoad collectiones canonum et legum civilium cl. auctor ingeniose probat ex Photii Patriarchae epistula, ex responsis Nicolai I Papae necnon ex specialibus characteribus Nomocanonis (Syntagmatis) tertiae versionis, quae hodie in vetusto codice saeculi X Valicellano F. 47

habetur una cum Ecloga Isaurica: has praecise collectiones fuisse Borisio consignatas a Byzantio. Quae clarissimi Zlatarski argumenta confirmantur ex eo quod praecise aliqua capita Eclogae necnon Codex Valicellanus F. 47 (melius Nomocanon in ipso conservatus) in linguam Bulgaricam antiquam traducta sunt sub fine saeculi IX vel initio saeculi X.¹⁹⁵

Antequam tamen hae collectiones iuris matrimonialis in proxim deduci coeptae sunt, mense Octobri anno 866 in Bulgariam missionarii Latini advenerunt qui omnia latinisare conabantur. Item rex Borisius expulit missionarios Graecos et decrevit, ut solummodo ritus Latinus in suo regno existere deberet.¹⁹⁶ Ratio ritus mutandi erat ipse Photius Patriarcha: Postquam enim rex cum nobilibus nationis Costantinopoli baptizatus est, misit ad eundem petitionem, ut ipse mitteret episcopos et sacerdotes qui populum instruerent et baptizarent. Photius autem noluit mittere episcopos, sed solummodo missionarios.¹⁹⁷ Proinde rex Borisius Romam legationem misit. Photius odio contra missionarios Latinos spirans, exclamat in sua epistula: „Non dum gens illa (Bulgari) per biennium rectam christianorum religionem amplexabatur, cum impii quidam homines et execrandi, portenta, vel quo illos titulo christianus insigniat, homines a tenebris properantes, erant enim exorti ab occiduis partibus... heu quomodo reliqua persequi potero? Isti, inquam, in gentem, novella quorum pietas nuper est constituta, tanquam fulgur, terrae motus seu copiosa grando aut, ut proprius... dicam, tanquam aper agrestis vineam Domini dilectam, nuper consitam insilientes, pedibus et dentibus (illam)... devastabant... Imprimis contra Ecclesiae canones... sacerdotes... legitimo coniunctos matrimonio... mulieres... abominari et adversari docuerunt, semina Manichaeorum... apud illos serentes... Sed et chrismate inunctos per sacerdotes denuo chrismate inungere non dubitabant, cum se episcopos praedicabant et presbyterorum chrisma inutile quiddam et frustra factum communiscerentur...”¹⁹⁸ Negari nequit clerum Latinum in Bulgaria minus prudenter processisse, cum omnes, etiam iam prius conversos ad disciplinam Latinam traducere cogeret.¹⁹⁹

Codices, secundum quos ius ecclesiasticum matrimoniale in Bulgaria introduci coeptum est, erant vel collectio Dionysiana

cum posterioribus additionibus, vel collectio Quesnelliana vel alia collectio hucusque inedita.²⁰⁰ In omni casu valebat etiam in Bulgaria decisio Nicolai I anno 865 ad Episcopos Galliae missa, iuxta quam „decretales epistulae Romanorum Pontificum recipiendae sunt, etiamsi non sint codici canonum compaginatae“.²⁰¹

Secundum quam regulam generalem haud difficulter possumus reconstruere ius matrimoniale, quod DE IURE in Bulgaria viguit inde ab anno 866: *Matrimonium solo consensu utriusque partis* perficitur secundum adagium Pseudo-Chrysostomi: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. Quae voluntas „qui consensus, si solus in nuptiis forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur“.*²⁰² Quodsi nupturientes in potestate *parentum* sint constituti, horum *consensus ad validitatem non requiritur*. Qua in re Papa Nicolaus I, utrum in suo responso (tertio) ad Bulgaros derogaverit tunc communi in Ecclesia Latina disciplinae, iuxta quam consensus parentum ad matrimonii validitatem requireretur, necne, disputatur. Cl. Rudolfus Köstler, qui specialem monographiam huic impedimento dedicaverat („Die väterliche Ehebewilligung“ Stuttgart 1908), putat Papam Nicolaum noluisse abrogare necessitatem consensus parentum ad matrimonii validitatem, quia in suis responsis ad Bulgaros plerumque iuri Romano adhaeret, quod absolute assensum illorum, in quorum potestate nupturientes constituuntur, requirit. Deductiones vero cl. auctoris non satis probant (pag. 71—76), utrum Papa etiam hac in re ius Romanum, an ius Longobardicum secutus sit.²⁰³ Nobis maxime sententia intermedia arridet, nempe: ex responso III Nicolai I necnon ex ceteris actibus huius Summi Pontificis probari non posse: ipsum praescripsisse Bulgaris consensus parentum tanquam conditionem „sine qua non“ matrimonii contrahendi, nec ex altera parte affirmare possumus eundem necessitatem consensus parentum ad coniugii validitatem abrogasse. Duo tantum certa sunt: 1. Consensus parentum tunc temporis in tota Ecclesia Latina ad coniugii valorem non requirebatur; in Ecclesia Francorum v. g. obtinuit ius germanicum, in quo hoc requisitum solummodo ad liceitatem postulatur (quae conclusio ad merita profundae investigationis cl. Köstler pertinet); 2. responsum III Nicolai I Papae ad Bulgaros, si non

statim, certe post insertionem eiusdem in Decretum Gratiani (c. 2 C. XXVII q. 2 et c. 3, C. XXX, q. 5) interpretatum est, ut lex necessitatem consensus parentum ad coniugii valorem abrogans; sub rubrica enim ponitur „sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumque coniunctionibus agitur“ et ita maximum universalemque influxum exercuit in disciplinam matrimonialem Ecclesiae Latinae. Propter principium „matrimonium facit nupturientium voluntas“ Summus Pontifex decidit valida esse matrimonia absque benedictione sacerdotali inita.²⁰⁴

Nec servitus ipsa, sed error servitutis impedimentum matrimoniale constituit.²⁰⁵

Utrum *consensus dominorum* ad validitatem, an ad licetatem coniugii legitimi servorum requireretur, ex iure communiter saec. IX in Occidente vigente non constat; nam textus legales sibi metipsis non cohaerent²⁰⁶ nec Nicolaus I occasionem habuit huius quaestioneis pro Bulgaris decidenda.²⁰⁷ Iuxta normam iuris Romani Iustinianae: vir ante decimum quartum aetatis annum completum et mulier ante duodecimum item completum matrimonium validum inire non poterant. Sed Ecclesiae Occidentalis praxis hac in re ita vacillabat, ut regula generalis et certa ex documentis iuris ecclesiastici matrimonialis vix erui posset.²⁰⁸

Nullum tamen dubium viguisse *omnia impedimenta iuris divini*: uti impedimentum aetatis (in quantum inhibet sufficientem rationis usum ad matrimonialem consensum praestandum); impedimentum impotentiae, ligaminis, consanguinitatis in linea recta. De impedimento ligaminis Nicolaus I in suis responsis expresse cavet, uti vidimus.²⁰⁹ Sponsalia benedici non solebant²¹⁰ nec ulla *quasi-affinitatis* ex sponsalibus oriebatur;²¹¹ unilateralis tamen *fidei sponsalitiae violatio* per matrimonium cum alia persona contractum illicita utique habebatur.²¹²

Quoad impedimenta necessitudinis Nicolaus I decidit, ut servarentur „sacri canones et praecipue Zachariae summi praesulnis decreta“.²¹³

Proinde impedimenta *consanguinitatis et affinitatis*, quae sive ex matrimonio (licet non consummato) sive ex copula illicita oriebantur, usque ad septimum gradum in linea transversa extendebantur,²¹⁴ computationis vero civilis (Romanae), uti pro-

babilius esse videtur.²¹⁵ De impedimento *cognitionis spiritualis* ipse Nicolaus I disponit et quidem iuxta decreta Zachariae Papae „nihil novi adaugens . . . diligere debet homo eum, qui se suscipit ex sacro fonte, sicut patrem . . . est autem inter eos . . . sancta communio, quae non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda est spiritualis proximitas . . . , quandoquidem nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt, venerandae Romanae leges matrimonium contrahi permittunt, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per coeleste sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius eius vel frater meus esset, elegit”.²¹⁶ Inobsvrantia praedictorum impedimentorum sponsos ad valide contrahendum matrimonium inhabilitabat.

De cognitione spirituali ex confirmatione nil invenimus in responsis Nicolai I Papae ad Bulgaros. De qua tamen idem Pontifex iam anno 864 in epistula ad Rodulfum, archiepiscopum Bituricensem, locutus est: „De his, qui filiastros suos ad confirmationem coram episcopis tenent, id est qui filios uxoris suae de viro priori, dum chrismantur ab Episcopo, super se sustinent, si inscitia, sicut asseris, fit, licet sit peccatum, tamen non usque ad separationem coniugii puniendum. Lugeant tamen et digna poenitentia hoc diluentes Domino dicant „Delicta ignorantiae meae ne memineris”.²¹⁷ Non igitur cognatio spiritualis ex confirmatione eosdem effectus parere videtur quoad matrimonium ac proximitas spiritualis ex baptismo. Idem ex aliis testimoniis saeculi IX, praesertim ex decisionibus Conciliorum eruitur.²¹⁸

Quoad *cognitionem legalem* quaesita Bulgarorum ansam dederunt, ut tacita canonisatio legum Romanarum de adoptione in Ecclesia Romana nobis nota fieret. Summus Pontifex hac de re declarat: „Inter eas . . . personas, quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium, vel aviam et nepotem, et usque ad infinitum: et si tales personae inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur: et haec adeo sunt, ut quamvis per adoptionem

parentum liberorumve loco sibi esse coeperint, non possint inter se matrimonio iungi. Itaque eam, quae mihi per adoptionem filia aut neptis esse coeperit, non potero uxorem ducere... Si quis per adoptionem soror esse coeperit, quamdiu quidem constat adoptio, sane inter ne et eam nuptiae consistere non possunt.²¹⁹ Proinde etiam hoc impedimentum Bulgaros obligavisse videtur. *Raptus mulieris* impedimentum absolutum quidem et perpetuum constituebat, tamen matrimonium, dummodo liber consensus etiam ex parte mulieris praestitus sit, non irritabat.²²⁰ Idem de adulterio, incesto, fornicatione et aliis delictis alterutrius vel utriusque sponsi dicendum est, quamvis haec impedimenta videantur potius reducenda saec. IX ad *impedimentum publicae poenitentiae*, quae tunc temporis iam iam mitius tenebat fideles.²²¹ Nicolaus I in suis responsis (nn. 28, 29, 32, 51) tantummodo de poenis infligendis illarum legum violatoribus loquitur. Clericus in maioribus constitutus, non vero *monachus vel virgo Deo consecrata* validum matrimonium inire poterant: in utroque casu coniugium (attentatum) habitum est graviter illicitum et puniebatur.²²² Nicolaus I in suis responsis cavet:

1. ut votum validum sit, debet esse libere emissum (resp. 87);
2. quamlibet populi, nobilium regisque in causas criminales clericorum ingerentiam prohibet: „de presbyteris, qualescumque sint, vobis qui laici estis nec iudicandum est, nec de vita ipsorum quidquam investigandum, sed episcoporum iudicio, quidquid est, per omnia reservandum“ (Ita in resp. 70, similiter in resp. 71).

Exoptat etiam Summus Pontifex, ut *impedimentum disparitatis cultus* exacte observetur in Bulgaria, „nulla cum his, qui non credunt idolaque adorant, miscenda communio est“ (resp. 41), sed quia huius impedimenti observandi moralem impossibilitatem praevidit, in alio responso (LXXXII) sensum prohibitionis explicat: „Verum si eo fidelis pactum cum infideli constituit, ut eum ad cultum veri Dei possit attrahere, non est prohibendum (eiusmodi pactum): quandoquidem Apostolus etiam matrimonium, quod ex fideli constat et infideli, non inhibet permanendum (I Cor. VII); et Moyses cognatum suum ad Dei veri notitiam trahere volens eius societatem non aspernatur, sed comitatui suo ducem fore summopere deprecatur...“ Semper tamen

obtinet inconcussum principium catholicum: „*Infidelibus, ut credant, violentia nullatenus inferenda est*” (resp. XLI).

Impedimentum polygamiae successivae expresse a Papa Nicolao I (resp. III) abrogatur.

Ab impedimentis matrimonialibus brevissime modo enucleatis ne concipitur quidem saeculo IX dispensatio; ad summum obtineri potuit *privilegium* casu, quo aliqua lex canonica nimis populi Bulgarici consuetudinibus repugnaret.²²³ Ceteroquin etiam per concilium nationale peculiaribus necessitatibus poterat provideri.

Praeter canones ecclesiasticos etiam leges civiles a missionariis Latinis allatae corrigebant vel confirmabant normas consuetudinarias iuris matrimonialis Bulgarici sub adspectu poenali, quod patet ex XXVIII, XXIX, XXXII responso Nicolai I.

Concreta vero et praecisa reconstructio huius brevis periodi iuris consuetudinarii prout DE FACTO in Bulgaria applicabatur non solum impossibilis, sed etiam inutilis esset. Impossibilis: quia nescimus quas collectiones iuris canonici et civilis missionarii in Bulgariam adtulerunt, neque ius consuetudinarium illius temporis multoque minus relationem eiusdem ad ius ecclesiasticum Latinum cognoscimus; inutilis: nam anno 870 missionariis Latinis expulsis, influxus iuris Ecclesiae Latinae cessavit omnino, quamvis unio cum Roma non statim abrupta sit. Missionariis Graecis, qui nunc Byzantio reversi sunt, mox discipuli S. Methodii: S. Clemens, Gorazdus, Nahum, Angelarius adiunguntur (886), quorum opera oriuntur versiones palaeo-slavonicae Nomocanonis Joannis Scholastici, qui dicitur Nomocanon XIV titulorum (Efremskaja Kormčaja) necnon quorundam capitum Eclogae.

Articulus III.

Vestigia influxus Ecclesiae Latinae.

§ 1. Num vero aliqua elementa iuris canonici Latinorum in iure matrimoniali Bulgarico ex illo adhuc tempore superstite reperiantur, valde dubium videtur. Cl. Baldžiev affirmative qui-

dem ad hoc respondet,²²⁴ at nullo exemplo assertionem suam probare conatur. Nobis periodus quattuor annorum (866—870) haud sufficiens esse videtur ad vestigia profunda relinquenda.

Neque supponi potest *computationem iuris consuetudinarii graduum cognationis*, quae computatio identica est cum computatione iuris germanici antiqui,²²⁵ vestigium esse iuris ecclesiastici Latini. Sat probabile quidem est Ecclesiam Latinam illo tempore (in secunda medietate saec. IX) ex consuetudine iam necessitudinis gradus Germanorum more computasse,²²⁶ quamvis, uti recte notat cl. Scherer, usque ad saec. XI seu usque ad Alexandrum II (aa. 1061—73) in nulla authentica epistula Romanorum Pontificum computatio germanica reperiatur;²²⁷ nihilominus computatio more Germanico in iure consuetudinario Bulgarorum originaria esse videtur, quia etiam apud alios Slavos, qui nec influxum Latinum nec influxum Germanicum subieabant, adhibebatur.²²⁸

Secundum vestigium iuris ecclesiastici Latini in disciplina matrimoniali Bulgarorum praetendebat cl. Suvorov se invenisse: „Quod attinet ad illegitima matrimonia propter inobservatum impedimentum *spiritualis cognationis* . . . , heic relationes necessitudinis adiunctae sunt influxu terminorum Latinorum, compater et commater, in lege iudicali seu Zakon sudnym ljudem, quatenus scilicet fons praecipuus Legis iudicalis, Ecloga, prohibet tantummodo matrimonia inter patrimum, filium patrini et baptizatum eiusque parentes, dum e contra Zakon sudnym ljudem prohibet etiam matrimonia inter patrinos baptizati, si plures fuerint”.²²⁹ Quam affirmationem iam cl. Pavlov peremptorie refutavit: „Nulla allusio ad plures susceptores (patrinos) aut ad plures susceptrices (patrinas) in verbis Legis iudicalis continetur.”²³⁰ En textus Graecus et Slavus:

‘Ο πρὸς γάμον τὸ δοκεῖν ἀγόμενος τὴν ἐκ τοῦ ἀγίου καὶ σωτηριώδοντος βαπτίσματος γενομένην αὐτῷ συντέκνον ἥ καὶ σαρκικῶς ταύτῃ ἄνευ γάμου συμπλεκόμενος ὁ τοῦτο πλημμελῶν μετὰ τὸ ἀπο-

Иже коуэпетроу свою поимэтъ женоу сэбѣ по законоу людско-му нось има обѣма ѹрѣзають и разлѹчать и, а по църков-ному закону разлучати и въ постъ єї лѣтъ да дактсж: чинъ

διωχθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων τῇ τῶν μοιχῶν ποιητὴ καθυποβαλλέσθω, ἦγουν καὶ αὐτὸς κάκείνη φινοκοπεῖσθω²³¹

же посту томоу ъстс сицэ: Е лѣть виѣ стояти плачющѣ и послуучающе литургии, а й въ църкви до святаго ювангэлия, а і до Вѣроу въ юдинаго Бога три же до конца всю 8 хлѣбѣ и 8 водѣ и тако кончавъши оурокъ свои въ 81 лѣтъ все да възмуть. Въ тоуже казнь да внидеть иже свою дыщерь поиметъ отъ святаго кршения и иже съ моужатою обрѣтаються. ²³²

Ceteroquin ne in Ecclesia Latina quidem adhuc saec. XI, saltem nondum ubique, impedimentum matrimoniale inter plures patrinos et patrinas eiusdem filii spiritualis agnoscebatur.²³³ Nihilominus fatendum est terminum kumpetra, in lingua Bulgarica moderna kum, kuma derivare a Latino compater, commater, at nihil aliud.

§ 2. Antequam examini subiiciemus „Codicis iuris canonici Orientalium“ genesim ac systema in materia impedimentorum matrimonialium necnon differentias specificas a Bulgarorum interpretibus in ius matrimoniale introductas, opportunum videtur, unitatis gratia, statim respondere quaestioni: *num renovata cum Ecclesia Romana (aa. 1204—34) unio nulla revera in iure matrimoniali Bulgarorum reliquerit vestigia, uti volunt historici et canonistae „orthodoxi“?*²³⁴

Constat enim Bulgaros saec. XI cum ceteris Slavis Orientalibus in schisma prolapsos esse ac proinde omnes errores sive dogmaticos, sive disciplinaires in iure matrimoniali a Graecis mutuasse. At rex Joannicius seu Colojoannes anno 1204 de novo unionem cum Petri cathedra restauravit.²³⁵ Papa Innocentius III plures legatos ad Bulgaros misit, qui ritum ac disciplinam Byzantino-Slavam ab erroribus expurgare debebant.²³⁶

Ius matrimoniale Bulgariae occidentalis (Macedoniae) seu ius matrimoniale Archiepiscopiae Achridanae a *qualibet reforma catholica immune* remansisse: clare numerosa responsa Archiepi-

scopi Demetrii Chomateni probant, qui Ecclesiam hanc praecise in prima medietate saeculi XIII. regebat.²³⁷

Quoad ius matrimoniale Bulgariae orientalis (Thraciae) seu quoad ius matrimoniale Patriarchatus Tirnovitani res paulisper dubia est. Certum est reformatam esse disciplinam Bulgaricam in legibus, quae administrationem sacramenti baptismatis et confirmationis ordinabant,²³⁸ sed de matrimoniali disciplina reformata vel reformata nullum documentum loquitur. Quamvis argumentum ex silentio nihil per se probet, tamen quia „de sacramento matrimonii usque ad secundam medietatem saec. XIII, si quaestionem de tetragamia excipias, Latini et Graeci vix unquam inter se litigabant“,²³⁹ videtur etiam in Bulgaria orientali, respective in Patriarchatu Tirnovitano disciplina matrimonialis reicta esse in statu quo. Ceteroquin graviores reformationes urgebant, nempe haeresis Bogomilorum condemnanda quae tunc in Bulgaria grassabatur. In actis Concilii Bulgarorum nationalis anno 1211 contra Bogomilos celebrati Cardinali Legato Romani Pontificis praesidente inter septendecim anathemata etiam sequens legimus: „Si quis dixerit: in muliere, quae ex legitimo matrimonio hominem conceperit, diabolum inhabitare nec per pueri nativitatem recedere nec per sacri baptismas lavacrum expelli posse, sed tantummodo per orationem et iejunium, anathema sit!“²⁴⁰

§ 3. Ultimam, ut ita dicam, occasionem „infiltrationibus“ canorum Latinorum in ius ecclesiasticum matrimoniale apud Bulgaros dedit caput 50. Libri directionis seu Kormčaja kniga anno 1650 prima vice in Russia typis editi ac sensim sine sensu etiam in Bulgaria divulgati. Elementa Latina quae initium praefati capititis occupant, a Petro Mogyla ex „Rituali Romano Papae Pauli V edito Romae anno 1615 pag. 144—146 sunt desumpta.“²⁴¹

Impedimentum raptus declaratur impedimentum dirimens sensu disciplinae Latinae: statuit enim: „meminerit parochus (in textu Slavonico: sacerdos) matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, ex ipsius Concilii decretis (in textu Sl.: secundum synodalem decisionem et sanctorum Patrum doctrinam) irrita omnino ac nulla esse (Sl.: illegitima imo illegitima et nulla esse);²⁴² e contra secundum disciplinam in Ecclesia Byzantina communem raptus erat impedimentum perpetuum.

²⁴³ In Bulgaria vero nec disciplina Byzantina nec disciplina Latina hac in re obtinuit; ut in capitibus subsequentibus videbimus, Ecclesia hic coacta est, ut iuri consuetudinario cederet, quod sive Medio aevo, sive sub dominatione Ottomana raptum ut unum ex modis matrimonii ineundi consideravit; proinde episcopi sive Graeci sive Bulgarici, postquam una cum praeside pagorum liberum consensum matrimoniale utriusque partis verificarunt, bullam seu coronandi delegationem absque ulla difficultate concedebant.

Ex eadem ratione nunquam in Bulgaria factum est, *ut matrimonia coram proprio parocho non celebrata* irrita haberentur, prout Rituale Romanum Pauli V. in caput 50. Libri directionis transumptum vellet: Persaepe enim, cum per fugam aut per raptum matrimonia initarentur, mulier securitatis causa in alia parochia, quae nec viri nec mulieris propria erat, coronabatur. Ceteroquin textus Slavus absolute seu ad validitatem coronationem sponsorum a parocho proprio non urget. Nam postquam quinam esset parochus proprius relate ad matrimonium exposuit subiungit: „Secundum antiquam consuetudinem igitur, prout ubique illa vigeat, sic fiat”.²⁴⁴

Tertium elementum revera Latinum in 50 caput Libri directionis receptum sunt *praescriptiones* sat minutae de bannis. Attamen in Bulgaria ne hoc quidem elementum penetravit, imo nec hodie proclamationes matrimoniales ibidem noscuntur, sed ipsarum loco examen sponsorum coram testibus fit, ut plena matrimoniī contrahendi legitimitas verificetur.²⁴⁵

CONCLUSIO: In primo capite praeliminari diximus: axem aut sensum evolutionis iuris matrimonialis in Bulgaria in luctamine inter ius matrimoniale scriptum et sistema matrimoniale consuetudinarium consistere. Hoc in capite vidimus utrumque elementum statim in initio evolutionis aliud luctamen subire debuisse: ius consuetudinarium nationale Slavum cum iure consuetudinario Bulgarorum stirpis Finnicae et ius ecclesiasticum Byzantinum cum iure matrimoniali Latinorum. Tamen utrumque sistema suppressum est, id est et consuetudines matrimoniales paganae Bulg. Mongolorum et ius matrimoniale Latinorum, nullis vestigiis

relictis, disparuere. Quamvis occasiones infiltrationum disciplinae Latinae ne posterius quidem defuisse (saec. XIII; saec. XVII), tamen ius matrimoniale Bulgaricum ab omni influxu Occidentis immune remansit.

¹⁵⁵ Diximus *praecipue* nam multarum aliarum nationum membra cum Bulgariis coaluerunt sub hoc respectu mentione dignum studium cl. Gandev: „O bulharském národním duchu a jeho projevech“ Praha (1934).

¹⁵⁶ Cf. Kacarov, „Die Gesetzgebung des bulg. Fürsten Krum.“ In Byz. Zeitschrift XI (1907) 254—257; S. St. Bobčev: „Крумовото законодателство“ in Извѣстия на ист. Дружество II (1906) 3—29; denique S. St. Bobčev „История на старобълг. право“ Sofia (1910) pag. 93—115.

¹⁵⁷ Omnes theorias de origine Bulgarorum sat bene synthetizat И. Цѣновъ „Произходъ на българитѣ и начало на българската държава и българската църква“ Sofia (1910) 402—468. Ipsius theoria tamen propria iure ab omnibus reiecta est.

¹⁵⁸ „Leurs filles encore vières sortent de chez elles la tête entièrement découverte de sorte que chacun peut les voir; et celui qui se sent épris de l'une d'elles lui jette une coïfe sur la tête on est alors obligé de la lui donner en mariage. Il peut en épouser vingt et même davantage; c'est pourquoi leur nombre (leur population) est si grand qu'on ne saurait le calculer“ apud M. Charmoy in „Mémoires de l'academie impériale des sciences de St. Pétersbourg“ VI^{me} série tome II. pag. 403—404.

¹⁵⁹ Cf. J. M. Smirnov (P. Boyer) „Les populations finnouisses de bassins de la Volga et de la Kama“ I. partie: *Groupe de la Volga ou groupe Bulgare* (Les Tcherémises—Les Mordves) Paris (1898) pag. 118—125, 343 sq.

¹⁶⁰ o. c. 119.

¹⁶¹ Cf. notam 158; Smirnov o. c. 351 sq.; Иречекъ „История Болгаръ“ Одесса стр. 162; F. K. Volkov „Свадбарскитѣ обреди на славянскитѣ народи“ in SNU VIII. pag. 220.

¹⁶² „Um sich zu baden steigen Männer und Weiber zusammen in einen Fluß, nackend ohne sich gegenseitig mit irgend etwas zu bedecken. Doch treiben sie dabei keinerlei Weise unerlaubten Umgang mit einander. Hat aber jemand diesen getrieben, sey er, wer er auch wolle, sie binden ihn mit Händen und Füßen an vier Pflöcke die sie in die Erde geschlagen und spalten mit einem Beile seinen Leib vom quenike bis an die Lende. Eben so verfahren sie mit dem schuldigen Weibe. Darauf hängen sie von beiden die Stücke an einem Baum auf. Ich habe mir viele Mühe gegeben sie dahin zu bringen, dass sich die Weiber beim Baden vor den Männern verschleierten, habe jedoch nichts bei ihnen ausgerichtet“, apud Fraehn „Die ältesten arabischen Nachrichten über die Wolga-Bulgaren: Ibn-Foszlan's Nachricht von den Bulgaren“ (Mémoires de l'Academie imp. des sciences de St. Pétersbourg VI série; tom. I. pag. 576).

¹⁶³ „Si un Slave insulte la servante ou l’ enfant d’un autre on s’empare de tout ce qu’il possède et s’il est pauvre on vend lui — même comme un esclave et il reste dans cet état jusqu’ à ce qu’il soit racheté.“ M. Charmoy o. c. 408.

¹⁶⁴ Smirnov o. c. 345—348; Fr. Miller „Описание живущих въ Казанской губерніи языческихъ народовъ“ СПБ (1791) pag. 67.

¹⁶⁵ Negari nequit apud hos populos vestigia clarissima matriarchatus haberi. Cf. Smirnov o. c. 113 sq. 336 sq. Ex quo omnia explicantur!

¹⁶⁶ „Le mot izja (zja) désigne à la fois l’oncle plus jeune que le père, le frère aîné, le neveu et le cousin germain plus âgés; le mot šolö désigne à la fois le frère cadet, le neveu plus jeune, le petit — neveu, le cousin germain plus jeune et le cousin iussu de germain; le mot aka désigne à la fois la tante plus jeune que la mère, la soeur ainée, la nièce et la germaine plus âgées; le mot šužar désigne à la fois la soeur cadette la nièce plus jeune, la petite nièce, la cousine germaine plus jeune, la cousine iussu de germaine . . . o. c. pag. 114.

¹⁶⁷ Majnov „Очеркъ юридического быта Мордвы“ СПБ (1885) pag. 22—23.

¹⁶⁸ Smirnov o. c. 119.

¹⁶⁹ Quae denominations in principalibus collectionibus iuris consuetudinarii Slavonici referri solent. Cf. apud Bobčev С.Б.Ю.О. I. 1. pag. 62—72 aut apud Krauss o. c. 1—14. Cf. etiam Miklošič: „Краткий словарь 6 славянскихъ языковъ“ (Russicum - Bohemicum - Bulgaricum - Serbicum - Polonicum - Ecclesiastico-Slav.) С.П.Б. (1885) aut Miklosich: „Vergleichende Grammatik der slavischen Sprachen“ Wien (1868—79) 2 volumina.

¹⁷⁰ Ita ex gr. apud Marinov IV. 150—153.

¹⁷¹ o. c. § 150 pag. 201.

¹⁷² „Ἐσωφρόνουν δὲ καὶ αἱ θήλειαι αὐτῶν μάλιστα κραταιῶς ὥστε τὰς πόλλας αὐτῶν τὴν τᾶν ιδίων ἀνδρῶν τελευτὴν ιδίαν ἡγεῖσθαι καὶ ἀποπνίγειν ἐαυτὰς μὴ δυναμένας φέρειν τὴν ἐν χηρίᾳ ζωήν.“ Leo „Tactica“ c. XVIII 105. — Idem Maurikios „Strategicon“ XI. 5.

¹⁷³ Cf. Niederle „Manuel de l’antiquité slave“ Paris (1926) II. 175; Janko J. „O pravěku slovanském“ Praha (1912) 152—161.

¹⁷⁴ Resp. XVIII Nic. I. Pp.

¹⁷⁵ ЗСЛ гл VI; cf. notam 142; MG (102) 627 sq.

¹⁷⁶ Cf. resp. XCVI et caput IV preeliminare.

¹⁷⁷ Τοῦς δὲ ὄντας ἐν ταῖς αἰχμαλωσίαις παὸς αὐτοῖς [τοῖς Σκλαβήνοις] οὐκ ἀορίστῳ χρόνῳ ὡς τὰ λαπά ἔθνη ἐν δουλείᾳ κατέχουσιν ἀλλὰ φῆτὸν ὁρίζοντες αὐτοῖς χρόνον ἐν τῇ γνώμῃ αὐτῶν ποιοῦνται εἴτε θέλοντιν ἐν τοῖς ιδίοις ἀναχωρῆσαι μετά τινος μισθοῦ ἢ μέρουσιν ἐκεῖσε ἐλεύθεροι καὶ φίλοι“ Ita Maurikios I. c. Cf. etiam Procopium III 14 et Leo Diaconus cIX cη! Cf. studium cl. Blagoev „Responsa Nicolai I Papae“ in СБ Ak H VI 40—45.

¹⁷⁸ Ita cl. Bobčev in citato articulo „Byzance et Bulgarie“. Cf. notam 12 allegans testimonia annalistarum Byzantii.

¹⁷⁹ can 2 CP I. et can. 28. Chalc. aud Pitra „Monumenta“ I 509, 533.

¹⁸⁰ Ct. D. Chiulov „De relationibus inter Bulgarios et S. Sedem“ in Actis conventus Pragensis pro studiis orientalibus a. 1929 celebrati“ — Olomucii (1930) pag. 73—74.

¹⁸¹ Cf. L. Niederle „Počátky jižních Slovanů“ aut melius opus citatum in nota 173 tomus I. „L’Histoire“ Paris (1923) pag. 42—115.

¹⁸² Cf. A. Шивачевъ: „Исторически свидѣтелства за най - стари слѣди на христиаиството въ Валканския полуостровъ и у българитѣ прѣди царь Бориса“ in „Духовна култура“ Sofia (1926) 77 sq.

¹⁸³ „τὰ γὰρ ἔθνη ταῦτα Σκλαβῆνοι τε καὶ Ἀνταιοὶ οὐκ ἀρχονται πρὸς ἀνδρῶς ἐνδέξασθαι ἀλλ᾽ ἐν δημοκρατίᾳ ἐκ παλαιοῦ βιοτεύοντειν καὶ διὰ τοῦτο αὐτοῖς τῶν πραγμάτων ἀεὶ τὰ τε ξύμφορα καὶ τὰ δύσκολα εἰς κοινὸν ἀγεται“ Procopius „De bello Gothicō“ III 14 ed. B. G. Niebukrii Bonnae (1893) pars II. vol. II pag. 334.

¹⁸⁴ A. Šivačev o. c. 87—88.

¹⁸⁵ Stritteri „Memoria popolorum“ II pag. 557—558; Theophanes Continuatus ed. Bonnae (de Basilio Macedone) p. 215—217.

¹⁸⁶ Acta Sanctorum: Janunrius tom. II. 441—442.

¹⁸⁷ D. Chiulov o. c. pag. 66.

¹⁸⁸ Cf. c. 1 XXXIII q. 2; c. 5 C XXXII q. 1; c. 2 C XXXIV q. 1, 2; c 19, 21, 28 C XXVII q. 2; c. 1, 2, 4, 5, 28 C XXXII q. 7; Conc. Rom. (a. 826) c. 36; Leo IV. n ep. ad Breton (a. 849—850) Cf. P. Bertr. Kurtscheid O. Fr. M. „Praelectiones historiae iuris canonici“ (pro ms) Romae (1934—35) pag. 200—201.

¹⁸⁹ c. 10 C XXXI q. 1: „Melius est enim unum virum nosse quam plurimos“ at c. 11 C XXXI q. 1: „Non damno bigamos immo nec trigamos et si dici potest octogamos“ Ita S. Hieronymus; quoad praxim Ecclesiae Latinae cf. apud Freisen „Geschichte des kanonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur“ Fibingen (1888) § 61.

¹⁹⁰ Hoc clarum est ex resp. II. Nic. I. Pp. at multis aliis testimoniis anterioribus confirmatur. Cf. Wernz „Jus decretalium“ Prati (1912) II. editio IV. -2 tomus 307 n. Pro ecclesia Orientali cf. Zhisman o. c. 137—160 et J. Dauviller C. de Clerq. o. c. 40—43.

¹⁹¹ A. Esmein „Le mariage en droit canonique“ Paris (1912) II. ed. pag. 376; Wernz o. c. num. 409 et 429; Freissen o. c. § 33 e contra Zhisman o. c. § 10 n. 3 p. 316.

¹⁹² c. 1, 2, 4, 6 C XXX q. 1; Cf. Freissen § 47 c. contra Zhisman 263—265.

¹⁹³ Resp. 70—71: ML (119) 1006. De abusiva praxi Byzantinorum testis est Leo VI. imperator, qui in sua novella III consuetudinem reprobat „quae in praesenti obtinet et quae iis quibus in animo est matrimonio coniugi concedit, ut antequam uxorem duxerint, sacerdotes fieri possint et deinde biennum ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti praestituit.“ PG (107) 430.

¹⁹⁴ B. Златарски „Какви канонически книги и гражданска закони Борисъ е получилъ отъ Бизантия“ in „Вѣтописъ на българската Академия на науките“ Sofia (119) pag. 79—116.

¹⁹⁵ Edita est a cl. Beneševič cf. introductio „De literatura et collectionibus“ classis I. A.

¹⁹⁶ D. Chiulov o. c. 66; Cf. ML (119) 766.

¹⁹⁷ I. c.

¹⁹⁸ MG (102) 723—726.

¹⁹⁹ Cf. Markovič „Gli Slavi ed i Papi“ Zagabria (1897) I. 512.

²⁰⁰ Haec enim collectiones tunc temporis in ecclesia latina notae erant. Cf. Van Hove „Prolegomena“ Mechliniae-Romae (1928) I-1 n. 125-126.

²⁰¹ c 1 D XIX.

²⁰² resp. III ML (119) 979—980.

²⁰³ Notandum ius Germanicum non in hac coniugii conditione, sed etiam in tota sphaera iurium familiae et iuris matrimonialis multo propinquius esse iuri (aut potius iuribus ac consuetudinibus) Slavorum quam iuri Romano.

²⁰⁴ Cf. notam 202.

²⁰⁵ De hoc nihil in responsis sed cf. epist. Pelagii I. (anno 558—60) Jaffé Reg. (ed. II) 1023; Ivo descr. VIII 55 aut Gregorii I. (anno 596) axioma c. 6 C. XXIX q. 2 necnon numerosa conciliorum particularium decreta relata apud Freisen § 27 pag. 283 sq.

²⁰⁶ Secundum cl. Wernz et von Scherer inde a saec. VIII. in hac re disciplina in favorem libertatis servorum mutari coepit; authentice tamen nonnisi sub Hadriano IV. (intra a. 1154—1159) solemniter declaratum est valorem matrimonii servorum non pendere a voluntate eorum in quorum potestate constituti sint. Cf. Wernz o. c. IV-2 n. 238 et von Scherer „Über das Ehrerecht bei Benedictus Levita und Pseudo-Isidor“ pag. 284 sq.

²⁰⁷ Nic. I. Pp. loquitur quidem de servis, sed sub alio adspectu. Cf. resp. XXI, XXV, XCIV ipsorumque commentarium apud Blagoev l. c. (nota 177).

²⁰⁸ Cf. Freisen § 29; Wernz n. 312; Esmein pag. 236 sq.

²⁰⁹ Resp. 28, 51, 96.

²¹⁰ Resp. III.

²¹¹ Etenim hoc impedimentum ut certe et universaliter in Ecclesia Latina vigens dici potest tantum a saeculo XI. Cf. Wernz n. 448; Freisen pag. 499 sq.; Esmein 421 sq.; Scherer pag. 348.

²¹² Nam iuri divino fundatur „Sit autem sermo vester: est, est, non non“ Math. V 37. Mentem Ecclesiae produnt concilia: cf. Wernz o. c. n. 89.

²¹³ ML. (119) 994 resp. XXXIX.

²¹⁴ Zacharia a. 743 in Concilio Rom. c. 6. Cf. Wernz o. c. pag. 254 sq.

²¹⁵ Ita Scherer „Handbuch des Kirchenrechts“ Graz (1886—98) II. pag. 297 sq. Wernz l. c. nota 42 contra Schnitzer, Freisen et alios.

²¹⁶ resp. II ML (119) 979.

²¹⁷ ML (119) 885 n. V.

²¹⁸ Cf. c. 2, 4, 6 C XXX q. 4; cap. 1. Synod. gener. in reg. Franc. (a. 752) et Helefe „Conciliengeschichte“ II. p. 591; c. 15. Conc. Comp. (a. 757); c. 4 Concil; Cabill. (a. 813); c. 55 Conc. Mogunt (a. 813); epist. Nicol. M. scr. a. 864.

²¹⁹ resp. I. ML (119) 979.

²²⁰ Cf. Wernz o. c. num. 279; Freisen o. c. pag. 596 sq.; Esmein o. c. 434 sq.; necnon fontes aliosque auctores ab hisce allatos!

²²¹ Freisen o. c. 564 sq.! Esmein o. c. 445 pag.

²²² De vi irritante impedimenti ordinis usque ad authenticam decisionem concilii Lateranensis I 1139 c. 7 (c. 40 C XXVII q. 1) dubitari poterat; sed professio reli-

giosa iam saltem saeculo IX. matrimonium irritat. Ita cl. Wernz n. 377 contra Freisen § 62; indecise Esmein pag. 304.

²²³ Cf. studium monographicum cl. Vering „De principiis dispensationum“ in Arch. f. kath. Kr (1887) I 577 sq. Quoad matrimonium apud Wernz n. 610.

²²⁴ o. c. SNU IV pag. 157.

²²⁵ Computatio graduum cognationis apud Germanos per genicula fiebat et vel a fratribus (recentior) vel a fratum filiis (vetus) incipiebat: Cf Walter „Deutsche Rechtsgeschichte“ n. 575 sq.; Wernz pag. 248 nota 27.

²²⁶ Cf. exactam indagationem huius quaestioneis apud Wernz pag. 251 nota 40.

²²⁷ Scherer „Handbuch des KR“ Graz (1868—98) II. pag. 297 sq.

²²⁸ Cf. Kraus (o. c. pag. 10) qui false affirmat Bulgarios non nosse computationem Germanicam: cf. Marinov IV 150 sq.! Praeterea etiamsi hic fortasse computandi modus influxu Germanico (Gothorum) invaluisse poterat tamen esse (hic influxus) immediatus et longe ante conversionem ad christianismum potuit verificari. Non est autem obliviscendum etiam Slavos esse Arios.

²²⁹ „что касается незаконного брака въ духовномъ родствѣ... сородицельское отношение разширимъ соотвѣтственно латинскимъ терминамъ compater и commater причемъ самые эти термины славянизировались или ославяниались“ in opere „Слѣди зопадно католическаго церковнаго права въ памяткахъ древняго русскаго права“ Jaroslavlj (1888) p. 37 cf. etiam p. 30.

²³⁰ Никакого намека многихъ воспріениковъ и воспріемницъ одного и того же младенца и на отношение между ними какъ „сочадными“ въ словарѣ славянскаго Закона не соъержится“ in opere Мнимые слѣды католического вліянія въ древнѣйшихъ памяткахъ юго-славянскаго и русскаго права“. Moskva (1892) pag. 77.

²³¹ Juxta editionem cl. Spulber „L'Eclogue des Isauriens“: texte, traduction, histoire. Cernautzi. (Roumanie) 1929 pag. 67.

²³² Secundum editionem cl. Bobčev „Старобългарски правни паметници“ Sofia (1903) pag. 86 – 87.

²³³ Cf. teqtus apud cl. Pavlov I. c.

²³⁴ Ita ex gr. cl. Zankov „Die Verfassung der bulgarischen Kirche“ Zürich (1918) 16; item Drinov, Golubinskij (in operibus in introductione citatis) tenent totam illam Unionem non fuisse nisi fictitiam.

²³⁵ Cf. optimum studium V. Lah „De unione Bulgarorum cum Ecclesia Romana“ (a. 1204—34) in Arch. f. kath. KR. tom 194 (880) pag. 193—256.

²³⁶ Legati R. Pontificis missi in Bulgariam erant: I. Dominicus archipresb. de Brundisio (Brindisi) II. Joannes cappellanus Papae, III. Leo cardinalis a S. Cruce. Mittebantur cum mandato „ut in tota terra quoad spiritualia corrigenda cognoverint et statuant, quae secundum Deum fuerint statuenda“. Cf. ML (214) 1113 n. 116. (215) 292 n. 8.

²³⁷ Edita a cl. J. B. Pitra (Battandier) Parisiis—Romae (1891) in vol. VII. Analecta sacra et classica spicilegio Solesmensi parata“.

²³⁸ Cf. sect. I. caput III. art. 1 § 12 praesentis studii.

²³⁹ Jugie o. c. III 441.

²⁴⁰ „глящен ико жена зачинаеть въ
ѣрѣгѣ съдѣлованіемъ сатаниномъ прѣдываетже
ѡтядѣ сатана, не отстяпио даже и до рожьства младенцоу
стым може крщенїемъ ия млтвоя тѣкмо
и постомъ гящ 8до тако *днам*“ ed. citata cl. Popruženko pag. 31.

⁴¹ Cf. *classicum studium A. Pavlov „50я глава Кормчей книги“ Moskva (1887)*
pag. 229—238.

²⁴² „Изряднѣе (изрядно) же да вѣсть іереси ико съпроужества междоу
восхищающимъ и восхищеною єгда сама восхисщенная въ власти восхи-
тившага ю прѣдываетъ по соборномъ оустовленію, незаконна паме же
беззаконна и кичто же соуть“ apud Pavlov o. c. 213 (ibidem textus Latinus).

²⁴³ Cf. Zhismann o. c. 561 sq.; J. Dauwiller — C. de Clerq o. c. pag. 187.

²⁴⁴ „по древнемъ оудѡ в семъ каковыи гдѣ обычай съдербится сице да
бываетъ“ ed. Pavlov pag. 232.

²⁴⁵ Cf. ex gr. Zankov o. c. § 42 n. t. et notant 4 in pagina 138. Cf. eti m Milasck o. c. pag. 592 nota 2. E contra apud *Unitos praxis proclamationum invexit post unionem*. Cf. Arch. Sophia.

CAPUT II.

DEFINITIVA ADHAESIO DISCIPLINAE MATRIMONIALI BYZANTINAE

Articulus I.

*Genesis iuris matrimonialis, quod in collectionibus fundamenta-
libus Ecclesiae Bulgaricae continetur.*

Iuris matrimonialis Ecclesiae Byzantinae, antequam a Bulgaris
definitive receptum est, evolutio in quattuor periodos dividi potest.

1. Ius matrimoniale ecclesiasticum persecutione christianorum
durante.
2. Ius matrimoniale post persecutionis cessationem (313) usque ad S. Basiliūm exclusive.
3. Ius matrimoniale a S. Basilio (m. 379) usque ad Concilium Trullanum (692) exclusive.
4. Ius matrimoniale a Concilio in Trullo usque ad Nomocanōnum a Bulgaris receptorum compilationem.

§ 1. Christianorum persecutione durante auctoritas ecclesiastica sive in Oriente sive in Occidente ad impedimenta iuris divini urgenda sese limitavit, quia partim neophytorum in fide ac moribus debilitati quam maxime consulere voluit, partim ius Mosaicum ipsum pro Iudaeo-christianis, ius Romanum dein et Graecum aliaque systemata pro christianis ex gentilitate conversis nuptiarum honestati iam providebant. Matrimonia benedici solebant, ut abusus praepedirentur, sponsorum tamen coronatio ad validitatem nullatenus requirebatur.²⁴⁶ Ex sacra Scriptura²⁴⁷ necnon ex SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum operibus²⁴⁸ coniugia fidelium cum infidelibus contigisse edocemur, nihilominus clarum est ex iisdem operibus Ecclesiam matrimonia cum ethnicis et haereticis quam maxime impedire voluisse, quamvis nullitatem eorundem nondum statuisset. Nec impedimenti ordinis existentia ex positivis testimoniis probari potest, quod certe tamen per consuetudinem introduci coeptum est. Votum continentiae a virginibus et ascetis saec. III expresse emitte solebat, ut S. Clemens Alexandrinus et Origenes attestantur;²⁴⁹ utrum publice in Ecclesia, an private, verificari nequit; id unice certum est: matrimonium contra promissionem Deo factam contractum validum fuisse.²⁵⁰ Quoad aetatem, quoad impedimenta necessitudinis et consensum dominorum vel patrumfamilias in nuptiis filiorumfamilias vel servorum Ecclesia iuri civili sese accommodavit.²⁵¹ Ius civile, praesertim Romanum, quosdam Ecclesiae rectores ad impedimenta iuris divini, praeprimis ad impedimentum ligaminis transgredienda seduxit.²⁵²

Non tamen in omnibus Ecclesia ius Romanum secuta est: ita raptus vix coniugium ineundum prohibebat, dummodo consensus liber praestitus sit.²⁵³ Neque unquam Ecclesia cum principio Romano de matrimonii solubilitate consensit, sed inde ab initio bellum divortiis consensualibus inconciliabile indixit.²⁵⁴ Similiter servorum matrimonia coram foro ecclesiastico eundem valorem semper obtinuerunt ac matrimonia liberorum, dummodo domini consensus accesserit.²⁵⁵

§ 2. Statim ac persecutio christianorum cessavit, primae synodi adunatae sunt, quae aliqua impedimenta hucusque consuetudinaria per legem scriptam confirmare studuerunt. Prima impedi-

menta in hac periodo per canones stabilita motivo religionis quam saepissime innituntur quae in concreto sunt: impedimentum ordinis subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, impedimentum disparitatis cultus, impedimentum voti virginitatis, impedimenta affinitatis, polygamiae successivae, vinculi ex sponsalibus et sensu improppio etiam fornicationis impedimentum. Nullum ex his impedimentis certo dirimens dici potest. Nihilominus aliquorum ex iisdem vis irritans iam praeformatur; imo iam existens insinuat; ita v. g. canon 2. synodi Neocaesarensis (a. 315/329?) statuit: „Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur usque ad mortem, veruntamen in exitu propter misericordiam, si promisebit quod, facta incolumnis, huius coniunctionis vincula dissolvat, fructum poenitentiae consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit poenitentia in via permanenti.“ Probabilissime, ne dicam certe, impedimentum consanguinitatis in linea recta, impedimentum ligaminis et in genere omnia impedimenta iuris divini necnon impedimenta ex iure Romano per consuetudinem ecclesiasticam canonisata qua dirimentia considerabantur. Quoad impedimentum ordinis praxis ecclesiastica modo severior, modo mitior sese ostendebat. Dum enim concilium Neocaesarensse matrimonium contrahere expresse non prohibet nisi presbyteros²⁵⁶ et synodus Ancyra dispensationem quandam diacono concedit,²⁵⁶ canon 26. Apostolorum, ut cantores et lectores tantummodo coniugia ineant, permittit. Quoad impedimentum disparitatis cultus canones loquuntur de infidelibus et haereticis.²⁵⁸ Quid haereticorum nomine proprie intelligendum sit, non indicant; quodsi interpretationem conciliorum subsequentium sequi liceat, praesertim illam, quae a concilio Costantinopolitano I (oecumenico II) et a S. Basilio datur,²⁵⁹ haereticorum nomine non veniunt nisi illi, qui rebaptizandi sunt, ac proinde prohibitiones schismaticos et haereticos valide baptizatos non tangunt. Difficilius adhuc polygamiae successivae ambitus determinari potest: Certum est secundas successivas nuptias, quamvis poenitentiae subiicerentur, permissas fuisse; nam concilium Nicaenum I cavet in canone VIII „de his qui se cognominant catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam... Haec p[ro]ae omnibus eos... convenit profiteri, quod Ca-

tholicae et Apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur: id est bigamis se communicare...“ De valore tertiarum et successivarum nuptiarum nihil expresse statutum est, tamen secundum S. Basili testimonia (c. 4) secundum matrimonium iam hac in aetate saltem impedimentum impediens videtur. Probari nequit canonem 25. Ancyranum stabilisse impedimentum affinitatis ex copula illicita, ut quidam (cl. Zhishman) voluerunt.²⁶⁰

Nostra iam in periodo exaequatio vinculi ex sponsalibus cum vinculo matrimonii incipit „Desponsatas puellas ($\tauᾶς μνηστευθεῖσας κόρας$) et post ab aliis raptas placuit erui et eis reddi quibus ante fuerant desponsatae, etiamsi eis a raptoribus vis illata fuerit“. Ita XI canon synodi Ancyrae. E contra LXVII canon Apostolorum sanxit: „Si quis innuptam virginem ($\piαρθένον ἀμνήστευτον$) vi illata teneat, segregetur nec aliam ducat, sed hanc, quam praelegit, retineat, etiamsi paupercula fuerit.“ Impedimentum raptus proinde nondum existit. Hac in re Ecclesia condescendit consuetudinibus populi contra tenorem legum Romanarum. Etiam canonis 67. Apostolorum dispositio, modo allegata, in qua fornicatio cum non desponsata obligationem ducendi eam uxorem inducit, prima forsitan canonisatio iuris popularis sit.

§ 3. Optimam interpretationem impedimentorum matrimonialium praebet S. Basilius (m. 379):

Claram dedit notionem matrimonii ipso facto nulli: „Fornicatio matrimonium non est, sed nec matrimonii initium. Quare si fieri potest, ut qui per fornicationem coniuncti sunt, separantur, id quidem optimum est. Sin autem eis omnino placeat consorium ($\sigmaυνοικέσιον$ = cohabitatio), fornicationis quidem poenam agnoscant, sed minime separantur, ne quid deterius accidat.“²⁶²

Omnia impedimenta, de quibus agit, dirimentia („fornicationes“) *declarat.*²⁶³ Ex quo cognosci potest, quam falsa sit cl. Zhishman et Eismen sententia, iuxta quam Ecclesia nullum impedimentum dirimens statuit, antequam a lege civili impedimenta iuris ecclesiastici reciperentur.²⁶⁴

Nimis fortasse consuetudinibus et iuri Romano adhaeret. Receptio principii Romani: „eorum, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent“ (can. 40) seu „sine iis, qui habent potestatem, facta matrimonia sunt fornicationes“ (can.

72) iustificari quidem potest; difficilius tamen indulgentia iuri consuetudinario intelligitur, in quibus hoc contradicit iuri divino: ita in canone IX legimus; „Domini dictum secundum sententiae consequentiam ex aequo viris et mulieribus convenit, quod non liceat a matrimonio discedere praeterquam propter fornicationem. Consuetudo autem non ita habet... Consuetudo... etiam adulteros viros et in fornicationibus versantes iubet a mulieribus retineri. Quare quae cum viro dimisso cohabitat, nescio, an possit adultera appellari. Crimen enim hic attingit mulierem, quae dimisit, quamnam ob causam a coniugio discessit...“ Cl. Cayré in suo studio „Le divorce au IV. siècle dans la loi civile et les canons de saint Basile“ provocans ad „Moralia“ S. Basilii, in quibus de hac quaestione agit ex professo, hunc textum de iure poeanali explicat: „1. La doctrine de l'évêque de Césarée est très nette dans les moralia: le mariage est formellement défendu à l'un et l'autre des époux séparés. 2. La pratique d'après les „Lettres“ canoniques est moins ferme: tandis que le mariage de la femme divorcée est toujours puni comme adultère, celui du mari ne l'est pas dans certains cas, mais rien ne prouve, qu'il est autorisé et reconnu comme valide.“²⁶⁵

Ceteroquin alii Sanctis Patris canones clare et recte textum Scripturae interpretantur: „Si vir cum muliere cohabitans, in fornicationem inciderit, eum fornicatorem iudicamus et eum poenis amplius gravamus: canonem tamen non habemus, qui eum adulterii crimini subiiciat, si in solutam a matrimonio peccatum commissum fuerit“ (can. 21). „Fornicatio non est matrimonium, sed ne initium quidem matrimonii“ (can. 26). Nihilominus negari nequit Ecclesiam Byzantinam iam saeculo IV divortium perfectum propter adulterium alterius coniugis tacite admisisse, nam ipsa SS. Patrum doctrina vacillabat.²⁶⁶ Adulterium dein aliter in iure ecclesiastico, aliter in scriptis theologiae moralis definitur. Theologi per adulterium quodlibet peccatum contra fidelitatem coniugalem sive a marito sive ab uxore perpetratum intelligunt.²⁶⁷ Canonistae e contra per adulterium (in iure poenali) tantummodo copulam formalem, non necessario in foro externo probatam cum muliere maritata intendunt; idcirco quotiescumque vir uxoratus cum muliere libera seu non maritata peccat, adul-

terium in sensu poenali non habetur. Hanc adulterii notionem canonicam, quae indubitanter influxu iuris Romani et iurum consuetudinorum popularium invaluit, S. Basilius primus expresse propugnavit (can. 26). Secundum eundem S. Doctorem impedimentum adulterii non existit nisi pro muliere illudque nonnisi post sententiam valide emissam in perpetuum et absolute seu cum quolibet matrimonium irritat.²⁶⁸

Ad merita S. Basillii, praeter praecisam notionem matrimonii ipso iure irriti, item *recensenda est: clara interpretatio quam dedit impedimenti*: disparitatis cultus, voti virginitatis et professionis religiosae, raptus et polygamiae successivae. Secundum S. Doctorem impedimentum diversae religionis impedimento disparitatis cultus aequivaleret.²⁶⁹ Sed iuxta praxim ecclesiasticam disparitas cultus nondum, saltem non in tota Ecclesia Orientis ut impedimentum matrimonii recepta est.²⁷⁰ Inter coelibes S. Basilius distinguit: a) canonicas seu virgines in familia vitam privatam agentes, quae publicum votum in manus episcopi emiserunt; b) monachas; c) diaconissas et viduas; d) monachos, qui tacite continentiam promittebant.

Quorum matrimonia sunt fornicationes, monet tamen²⁷¹ a) ut monachi explicitum emittant votum; b) ut virgines sive canonicae sive monachae et viduae (diaconissae) illud emittant in sinu Ecclesiae catholicae et post debitam aetatem, quam pro virginibus decimus sextus vel decimus septimus annus superatus compleat, pro viduis sexagesimus transactus.²⁷² Raptus impedimentum matrimonii ex seipso non constituit, sed tantummodo vel propter vinculum ex sponsalibus vel propter defectum consensus patris-familias aut domini vel denique propter poenitentiam eidem adiunctam matrimonium valide contrahi nequit.²⁷³ S. Basilius aliter ac canon 67. Apostolorum, secundum quem fornicatio seu vis (plerumque in raptu) virgini nondum despontatae illata obligationem videretur imponere raptor, „ut hanc quam praeelegerat retineret, etiamsi paupercula esset“, stabilivit: „Qui a se stupratam mulierem detinet, stupri quidem poenam subibit, ei autem mulierem habere permetetur“ (c. 25). Praecedentium saeculorum praxi innixus, quartum successivum matrimonium irritum declarat imo polygamiae successivae impedimentum putat esse iuris divi-

ni: „trigamos... saepe tribus et quattuor annis segregant. Id autem non amplius coniugium, sed polygamiam appellant vel potius moderatam fornicationem. Et ideo Dominus Samaritanae quae quinque maritos iam habuerat: „Quem nunc“, inquit, „habes, non est tuus maritus“, nempe quod digni non sint, qui a digamiae mensura exciderunt, ut vel mariti vel uxoris nomine appellantur. Consuetudine autem accepimus in trigamis... eos non omnino arcere ab Ecclesia, sed... postquam poenitentiae fructum... ostenderint, communionis loco restituere“ (c. 4). Ita S. Basilius sequens „eos qui praecesserunt (can. 4); ex propria vero auctoritate declarat: „tertium matrimonium... publicis condemnationibus non subiicimus, ut quae soluta fornicatione sunt magis eligenda“ (can. 4). „Polygamiam“ vero seu quartas et ulteriores successivas nuptias putat S. Basilius „maiis esse fornicatione peccatum, et ideo consentaneum esse, ut ii canonibus (idest poenitentiae canonicae) subiificantur“ (can. LXXX).

In legibus de nuptiis prohibitis propter relationes necessitudinis S. Basilius *celeberrimum illud principium de confusione nominum introduxit (can. LXXXVII)*.

Canones S. Basilii, si non causa, saltem ansa fuerunt, cur consuetudo in iurisprudentia Ecclesiae Byzantinae plus aequa aestimari coepta esset.

Successivi Patres et Concilia, usque ad Trullanum exclusive, impedimenta hucusque stabilita, nihil novi introducentes, reputunt. Item canonicarum institutio paulatim disparet et virgines, quae Deo consecrari desiderant, ad statum regularem invitantur.²⁷⁴ Per frequentes synodos topicas et oecumenicas disciplina matrimonialis saltem in lineis generalibus uniri coepta est. Primi codices canonum fundamentalium oriuntur et quidem tam officiales, quam privati, usuales; officiales promulgati sunt: ab auctoritate ecclesiastica in canone 1. concilii Chalcedonensis (ab imperatore Iustiniano in Novella CXXXI). Collectiones privatae in Ecclesia Byzantina inde a Joanne Scholastico (circa a. 550) compilari vulgarique incipiuntur. Influxu earundem duodecim SS. Patrum canonicae epistulae paulatim universalem auctoritatem, licet usque ad Concilium Trullanum (can. II) usualem tantum, nanciscuntur. Saeculo VI inter annos 565—578 primi nomo-

canones apparent, qui fusionem utriusque iuris Byzantini, ecclesiastici et civilis, praeparant.

Utrum vero Ecclesia Byzantina legum civilium influxu praeter duas causas fundamentales, quae dicuntur, divortii perfecti: mortem scilicet et adulterium, iam in hac periodo etiam alias illis assimilatas admiserit necne, non constat: Ex canonibus seu ex legislatione proprie dicta contrarium potius appetit: S. Timotheus Alexandrinus ad quaestionem „Si alicuius uxor spiritu corripitur, ut ferreos etiam compedes et manicas gestet, vir autem dicat: Non possum continere, et volo aliam accipere, debetne aliam accipere, an non?” respondet „In hac re quidem adulterium intercedit, nec invenio quid de ea re respondeam, spirituali autem sententia non debet” (can. XV). Simili modo disponit canon CV (CII) concilii Carthaginensis a Byzantinis recepti „Placuit, ut ex evangelica et apostolica disciplina neque qui ab uxore relictus est, nec quae a marito dimissa est, alii coniugantur, sed vel sic maneant vel sibi reconcilientur: quod si neglexerint, ad poenitentiam cogantur. Qua in re imperiale legem editum est.” Commentaria interpretum medioaevalium, Balsamonis, Zonarae et Aristeni, evidenter extensiva sunt et praxim matrimoniale Ecclesiae Byzantinae saec. XI. et XII. ostendunt.²⁷⁶

Quoad iurisprudentiam huius periodi res difficilis est ad investigandum, quia sententiae iudiciales non sunt conservatae, praesumptiones vero quae afferuntur, praesertim a cl. Zhishman,²⁷⁷ dici nequeunt peremptoriae:

Frequentes ad hierarchas Ecclesiae directae quaestiones, utrum in casibus praeter adulterium et mortem divortium perfectum permitti possit necne, nullatenus probant praxim laxiorem. Nam etiam de existentia impedimenti ordinis usque ad saeculum XIII. monachi dubia subiectiva movebant, cum certum esset inde a saec. IV. impedimentum hoc vigere.²⁷⁸

Continuae mutationes causarum divortii in constitutionibus imperialibus non tam ad sese accommodandum praxi ecclesiasticae, quam potius ad inhibendum diluvium divortiorum fiebant, quae erant consequentia logica ipsius conceptus Romani de matrimonii essentia necnon consequentia logica depravationis moralis ci-vium Imperii. Accommodatio praxi ecclesiasticae quidem etiam

intendebatur, at, uti iam cl. Zachariae von Lingenthal probavit,²⁷⁹ nonnisi modo valde imperfecto peracta est.

Falsum est etiam hierarchiam Orientis nunquam protestatam esse contra divortiorum facilitatem in iure civili.²⁸⁰

Itaque usque ad saeculum IX, melius usque ad a. 883, quando in Nomocanonem XIV titulorum definitivae redactionis Novella CXVII imperatoris Iustiniani „de causis divortii“ recepta est (tit. XIII caput 4), de laxiore praxi contra impedimentum ligamini observandum in ipsa Ecclesia Byzantina dubitare licet.

§ 4. Novam periodum in historia iuris matrimonialis indicit Concilium in Trullo, Quinisextum appellatum (a. 692).

Quae synodus codicem fundamentalem pro omnibus Ecclesiis Byzantinis valitum iuris matrimonialis ecclesiastici creavit simul et conclusit:

In canone II. ad dignitatem legis univeralis in Ecclesia Byzantina non solum 85 canones SS. Apostolorum, canones conciliorum topicorum elevavit (pro nostra materia canones synodi Antiocheni 10, 11, 19, 20, 25; Neocaesareae 1, 3, 7, 8; Laodicensis 1, 10, 31; Carthaginensis 4, 16, 21, 25, 102), sed etiam canonicas duodecim SS. Patrum epistulas, quae ex rigore iuris nihil aliud hucusque erant nisi canonum synodalium privata commentaria.

Omnia impedimenta, de quorum vel natura iuridica vel ambitu vel vero sensu dubitari poterat, authentice interpretata sunt: Ita

a) *omnia impedimenta* quorum natura iuridica subobscura videbatur, utrum nempe matrimonium dirimerent aut impedirent, *dirimentia pleno iure declarat*,²⁸¹ quo facto principio iuris Romani Iustinianae adhaeret: „ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis habeantur“ (l. 5 Cod. I. I tit. 14) Etiam terminologia iuridica eadem est ac in fontibus iuris Romani et Byzantini civilis; quod ex eo explicatur, quia multae dispositiones in hoc „corpo canonum“ contentae non sunt nisi praecedentium legum civilium repetitiones (e. g. leges impedimenti ordinis, disparitatis cultus, voti etc.).

b) *clare etiam ambitum singulorum* impedimentorum matrimonialium determinat:

1. impedimento ordinis iam subdiaconi tenentur (cc. 3, 6, 12, 13, 26, 30).

2. impedimento voti, qui professionem validam emiserunt, obligantur (cc. 40, 44, 47, 48). Conditiones tamen validae professionis a S. Basilio stabilitae in canonibus Trullanis immutantur.

3. praecise etiam extensionem impedimentorum consanguinitatis determinat (can. LIV): usque ad quartum gradum aequalem (inter consobrinos); affinitatis (can. LIV) necnon cognationis spiritualis ex baptismo (can. LIII).

c) Illis canonibus S. Basilii innixa, in quibus S. Doctor genuinam et revera orthodoxam dat interpretationem impedimenti ex vinculo matrimoniali derivantis, synodus Trullana *errorem iuris prudentiae*, quae adulterium tamquam causam divortii admisit, *positive non approbat* (cfr. cc. 31, 36, 46 S. Basilii cum c. XCIII Concilii in Trullo).

Raptus impedimentum non constituit, nam prohibet et severissime punit eos tantummodo, qui „nomine matrimonii“ id est „sub praetextu matrimonii“ mulieres rapiunt (can. XCII).

Pro affinitate applicavit principium: *Affinitas parit a finitate. Coniugia, quae prohibet sunt: „pater et filius cum matre et filia, vel cum duabus pueris sororibus pater et filius, vel cum duabus fratribus mater et filia, vel duo fratres cum duabus sororibus“* (can. LIV).

Etiam pro cognatione spirituali per sollemnem praefationem canonis LIII. *fundamentum praebuit ulteriori exaggeratae extensiōni* huius impedimenti; ait enim: „Quoniam spiritaulis necessitudo seu affinitas corporum coniunctione maior est, in nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto et salutari baptisme infantes suscipiunt, postea matribus illorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, ut in posterum nihil fiat eiusmodi. Si qui autem post praesentem canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem primo ab hoc illicito et iniusto matrimonio (*συννοικεσιον* = cohabitatione) desistant, deinde et fornicatorum poenis subiiciantur“.

Principium exaequationis inter vinculum ex sponsalibus cum vinculo ex matrimonio retinuit: „qui alteri desponsatam (*μνηστευθεῖσαν*) mulierem, eo adhuc vivo, cui desponsata est, in nuptiarum dicit societatem, adulterii criminis subiicitur“ (can. XCVIII).

Fundamentalis codice iuris matrimonialis Ecclesiae Byzantinae

promulgato, ulterior iuris matrimonialis evolutio a iure civili Byzantino dependere vult: illo sensu nempe quod Ecclesiae Byzantinae Praesules legem civilem prius impetrant (plerumque saltem) et dein illam non iam per canones, sed per synodales decisiones Costantinopoli latas confirmant.²⁸² Hucusque evolutio modo inverso processit. Lex igitur civilis Byzantina, quae prima relate ad canones Trullanos ulteriores mutationes in disciplinam matrimonialem introduxerat, Ecloga Isaurica anni 725 vel 739 erat. Cum vero in iure Byzantino-Slavonico Bulgarorum Ecloga nonnisi per partes recepta sit, ne bis eadem repetamus, analysim dispositionum eiusdem hic omittimus.

CONCLUSIO.

Quattuor periodi historiae iuris matrimonialis, quod a Bulgaris anno 870 definitive receptum est, hoc modo describi possunt:

Periodus I. (usque ad edictum Mediolanense): impedimenta in iure civili Romano, Mosaico, Graeco et in consuetudinibus reliquorum populorum per principia legis Evangelicae corriguntur.

Periodus II. (usque ad S. Basiliū exclusive) prima impedimenta iuris mere ecclesiastici uti plurimum motivo religionis innixa introducuntur.

Periodus III. (usque ad Concilium in Trullo exclusive) prima etiam in canonibus impedimenta pleno iure dirimentia introducuntur; leges civiles, quae impedimenta iuris ecclesiastici confirmant, tantummodo recipiuntur.

Periodus IV. (usque ad annum 870) praeter ulteriorem impedimentorum ampliationem, omnia impedimenta dirimentia declarantur.

Patet vero has „characteristicas“ valorem non habere absolutum, si una cum legibus scriptis praxis ecclesiastica respiciatur. Nam etiam in prima periodo ex consuetudine saltem impedimenta iuris ecclesiastici incipiunt existere; prima etiam periodo saltem aliqua impedimenta consanguinitatis, ligaminis, impotentiae et fortasse aetatis pleno iure erant dirimentia. Canones enim nonnisi occasionaliter disciplinam produnt et maxime in materia impedimentorum praxim antea iam vigentem confirmant aut quandoque praxim localem ad universam Ecclesiam extendere conantur.

Articulus II

Systema iuris matrimonialis, quod in fundamentalibus collectiōnibus Bulgaricis (Byzantino-Slavonicis) continentur.

§ 1. Principia generalia.

Nec definitio impedimenti matrimonialis nec eorundem divisio occurit; res autem nominibus his significata nota est. Ad matrimonium rite contrahendum praeter assensum eorum, in quorum potestate nupturientes constituuntur, requiritur²⁸³ consensus partium inter personas iure habiles legitime manifestatus, vi cuius utraque pars tradit et acceptat ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.²⁸⁴

Impedimentorum inobseruantia nuptias semper irritas facit et quidem iuxta auctoritatem, quae nuptias prohibet, vel incestas ($\alpha\vartheta\epsilon\sigma\mu\sigma\gamma\acute{a}\mu\sigma$ - $\alpha\vartheta\epsilon\sigma\mu\sigma\sigma\nu\nu\omega\kappa\acute{e}\sigma\iota\sigma\sigma\sigma$) vel simul illegitimas ($\pi\alpha\varrho\acute{a}\nu\omega\mu\sigma\sigma$) casu, quo etiam lege civili nuptiae prohibentur. Textus Slavonicus non distinguit et utrumque terminum interpretat adiectivo „bezzakonjn“ = illegitimus.²⁸⁶

Ab impedimentis matrimonialibus dispensatio tunc temporis nondum existit vel melius concipitur ut actus potestatis legislativae, non administrativae. Proinde dispensatio ab impedimentis in canone stabilitis dari nequit, nisi ipsa lex hanc facultatem faciat.²⁸⁶

Quoad legislatorem et subditum legum de impedimentis eadem valent tunc temporis (ante schisma definitivum) principia ac in Ecclesia Latina.

Impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici non subiiciuntur nisi valide baptizati; hoc principium iam in S. Pauli epistula ad Corinthios I cap. V vers. 12 sancitur. Pro nostra materia allegari potest canon XX: „Quaecumque mulieres, cum essent haereticae, virginitatem professae sunt, postea matrimonium maluerunt, non existime eas oportere condemnari.“ Quaecumque enim dicit lex, iis dicit, qui sunt in lege., „Quae autem iugum Christi nondum subierunt, eae ne Domini leges quidem norunt. Quare sunt ab Ecclesia in omnibus suscipienda et propter hoc habent remisionem ex fide in Christum. Et omnino quae in catechumenica

vita facta sunt, in iudicium non vocantur. Clarum est autem, quod eas Ecclesia non sine baptismo recipit". (Cfr. etiam can. V. Theophyli Alexandrini.)

Pro legislatione in materia impedimentorum sistema synodalismi nondum viget, nec ex altera parte reservatio Supremo Capiti Ecclesiae universae. Singuli Episcopi pro suis eparchiis tantum impedimenta statuere possunt, attamen non contra canones, quae uti leges Ecclesiae universalis concipiuntur.²⁸⁷

Systema synodalismi nondum viguisse clare elucet ex interpretatione canonis XXVIII. Concilii Chalcedonensis facta a traductore Bulgaro sine ullo dubio ante schisma Caerularii. Canon 28. Chalcedonensis, ut omnes sciunt, Summi Pontificis Primatum ab Episcopo veteris Romae ad Episcopum novae Romae transferre voluit. Vetustissimi etiam codices palaeo-slavonici illum referunt,²⁸⁸ nihilominus in duobus ex ipsis (ms. XV saeculi ex monasterio Solovec et ms. XVI saeculi ex „laura“ S. Sergii prope Moscam) additio habetur, melius huius canonis commentarium, quod verbotenus referendum est, eo vel magis quia originalis esse videtur: „Sciendum est decisionem istam (canonis XXVIII. Chalcedonensis) non fuisse acceptatam a beato Papa Leone, qui occupabat tunc temporis sedem veteris Romae. Hoc sub respectu (Papa) concilium Chalcedonense non approbavit, sed scripsit ad synodus se non acceptare huiusmodi dispositionem, quae subdolo Anatolio tunc temporis episcopo Constantinopolitano instigante lata est, quam vero haud omnes episcopi concilio adstantes subscripserunt. Nec veritati respondet, ut praesens canon affirmat, sanctos Patres concessisse Primatum veteri Romae, quia erat urbs princeps Imperii, sed ex altissimis per gratiam divinam primatus hic originem suam derivavit. Propter firmam fidem suam Petrus, Apostolorum Princeps, audierat haec verba ex ore Domini nostri Iesu Christi ipsius: „Petre diligis me? Pasce oves meas!“ Propterea enim possidet locum praeminentiae et primam sedem inter patriarchas. Quodsi antiqua Roma vero primatum habeat, quia urbs principalis erat, uti praesens canon affirmat, nunc evidenter Constantinopolis, actualis urbs capitalis Imperii, honorem hunc hereditavit. Attamen neminem latet: nec Mediolanum nec Ravennam, quamvis sedes imperatorum fuissent eorumque palatia

usque hodie ibidem inveniantur, nihilominus ullum primatum ea de causa obtinuisse. Nam dignitas et praeeminentia ordinis sacerdotalis non constituantur ex favore potestatis civilis, sed per electionem divinam et auctoritatem apostolicam. Quodsi igitur Sancti Patres urbem Hierosolymam honorare volentes, propter Regem regum Iesum Christum Dominum Nostrum eiusque passionem omni laude dignam eidem (urbì) dignitatem metropoleos confirmassent, sed privilegia patriarchalia ipsi non donavissent, quia impossibile illis erat mutare limites fixos per praedicatores verae fidei: quomodo possibile esset propter imperatorem terrestrem transferre dona divina et privilegia apostolica et introducere innovationes in praescriptionibus immaculatae fidei.

Propterea privilegia veteris Romae sunt inamovibilia usque ad finem mundi; ita omnes Ecclesia sentiunt! Propter eundem Primatum Pontifex Romanus non obligatur adire omnia Concilia oecumenica, sed sine participatione ipsius manifestata per missionem aliquorum ex suis subditis nullum Concilium oecumenicum existit. Et ille ipse decisiones Concilii (oecumenici) confirmat. Quodsi cuidam contrarium verum esse videatur, examinet bene ea, quae scripserat idem S. Papa ad Marcianum et Pulcheriam piae memoriae, et ea, quae scripserat Episcopo Constantinopoleos Anatolio iam nominato (= de quo locuti sumus); et ex ipsis (documentis) veritatem comperiet.²⁸⁸

Consuetudo longaeva, in quantum nec iuri divino nec explicitae legislatoris respectivi voluntati contradicit, tamquam fons impedimentorum matrimonialium admittitur.²⁸⁹

Legum civilium in collectiones canonicas receptione nullatenus declaratur vel agnoscitur absolute aequiparata competentia Status in matrimonia christianorum, sed potius fideles monentur, ut „saltem imperatorum praecepta, a quibus amplissimum acceperunt canones honorem, haudquaquam praetereant”.²⁹⁰ Iuxtapositio canonum et legum non est effectus caesaropapismi, ut communiter affirmari solet, sed potius naturalis manifestatio conscientiae iuridicae esse videtur in Oriente christiano usque modo viventis de unitate organica utriusque societatis relative perfectae. Ceteroquin leges civiles, quae in palaeo-slavonico Nomoconone Bulgarorum continentur (suntque Novellae Iustiniani

CXXIII, CXXXIII), canones Conciliorum et SS. Patrum confirmant solummodo. Sola Ecloga novitates introducit; nescimus vero, habueritne functionem legis civilis, an legis ecclesiasticae; ad Nomocanonem Slavonicum nonnisi tardius addita est.²⁹¹

§ 2. Singula impedimenta.

Impedimentum aetatis: In canonibus ipsis nihil de nupturientium aetate statuitur. Videtur igitur Ecclesia Bulgarica inde ab initio hac in re normam Eclogae secuta esse, iuxta quam „matrimonium inter christianos fit inter virum et mulierem, qui habent aetatem aptam ad copulam, i. e. inter virum a decimo quinto aetatis anno et mulieres a decimo tertio (incoepio)“.²⁹² Idem repetit Zakon Sudnym Ljudem longioris redactionis.²⁹³ In epithimiis, modo sint authentica, hoc impedimentum extensum est usque ad decimum sextum annum completum pro muliere, quia copula cum puella minore sedecim annis tanquam stuprum cum impubere punitur. Haec dispositio correspondet menti S. Basilii, qui in canone XVIII. eandem aetatem requirit ad professionem monasticam mulierum emittendam, et eo magis observatione est digna, cum originale Graecum epithimiorum iterum annum duodecimum completum ut limitem delicti indicet.²⁹⁴ ZSL (Zakon Sudnym Ljudem) brevioris redactionis de eodem delicto stupri loquens, magis adhuc annorum numerum adauget „Ille qui seduxit impuberem ante vigesimum aetatis annum, vendatur cum omnibus bonis suis . . .“.²⁹⁵ Cum aequa probabile sit Legem iudicalem (ZSL) brevioris redactionis esse anteriorem ac eandem esse posteriorem Legi iudiciali longioris redactionis, dicere non valamus, cui normae Ecclesia Bulgarica definitive adhaeserit. In omni casu iuxta principium iuris Romani et Byzantini civilis, ex quibus lex nostra desumpta est, impedimentum hoc est absolutum seu principium „malitia supplet aetatem“ applicari non debuerat.²⁹⁶ In iurisprudentia vix ad subtilem iuris civilis de temporis supputatione regulas attendebatur. Ecloga pro sponsalibus etiam aetatem determinat.²⁹⁷ Versiones Bulgaricae veteres de hac re tacent. Nihil praescriptum est quoad differentiam aetatis inter sponsos neque quoad limitem ad quem matrimonium contrahi potest.²⁹⁸

Impedimentum impotentiae: Non constat, num impotentia ab Ecclesia Bulgarica considerata sit iuxta principia iuris divini naturalis. Ratio dubitandi iterum in adaptata traductione Eclogae ZSL fundatur. Dum enim in Ecloga legimus: „Mulier separatur a viro ex istis causis: si vir durante triennio a matrimonio celebrato mulieri misceri (per copulam) non potuerat...”²⁹⁹ in ZSL utriusque versionis deest haec dispositio. Ex altera vero parte ZSL ad causas divertii addit „cicatricem malam”.³⁰⁰ Quidnam proprie hic terminus sibi velit, inter doctos quaestio est.³⁰¹ Quia vero ZSL longioris redactionis addit „cicatrix mala quae per magiam (maleficium) causata est” et quia secundum traditiones populares Bulgarianicas impotentia persaepe magicis machinationibus adscribi solita est,³⁰² fortasse haud absurda est opinio impotentiam etiam in ZSL consideratam esse saltem ut causam divertii.

In elenchem impedimentorum matrimonialium non adnumeratur *morbus contagiosus*, qui causa divertii in ZSL declaratur quae causa divertii nec semper nec necessario simul matrimonii impedimentum est.

Nihil probat tunc temporis *impedimentum servitutis* exstisset, quamvis servitus toto medium aevo in Bulgaria abrogata non fuisse.³⁰³ Ius ecclesiasticum, respective XL et XLII canon S. Basilii tantum ad matrimonii validitatem consensum domini requirit. Ex eodem textu elucet matrimonium servorum in omnibus aequum esse conugiis liberorum. ZSL relationes praetermatrimoniales cum serva sive propria sive aliena severe punit.³⁰⁴

Impedimentum ligaminis: comprehendit iam in ipso initio evolutionis iuris matrimonialis Bulgarici et vinculum ex matrimonio et vinculum ex sponsalitiis. Intelliguntur tamen *sponsalia* coram Ecclesia contracta. In Bulgaria enim saepe distinguendum est inter sponsalia iuris consuetudinarii seu *godež* et inter sponsalia ecclesiastica seu *obručenie*. Constat ius Byzantium sive civile sive ecclesiasticum in ultima phasi suae definitivae evolutionis, a temporibus scilicet Alexii I Comneni, sponsalia matrimonio fere paria fecisse.³⁰⁵ Sponsalia in hoc systemate, ut recte observat cl. Ferrari pro iure Byzantino civili³⁰⁶ et cl. Zhishman pro iure Byzantino ecclesiastico,³⁰⁷ non sunt amplius „promissio ac re promissio futurarum nuptiarum”, sed sunt initiatum matrimo-

nium. Benedictio sponsalium ecclesiastica non est nisi pars eaque essentialis ipsius benedictionis matrimonii. Proinde optime intelligitur, cur ad matrimonium sint necessaria, cur celebranda coram sacerdote et duobus testibus seu cum eadem forma substantiali ac ipsum matrimonium, cur eadem vigeant impedimenta, cur persaepe iidem effectus sequantur (contrahens cum alio vel alia fit adulterii reus cum omnibus consequentiis iuridicis; idem dicatur quoad affinitatem). Secundum consuetudines vero populi Bulgarici institutum iuridicum sponsalium omnino aliam functionem habuit: Ut iam diximus, saeculo IX. matrimonia ordinare per mulieris emptionem-venditonem contrahi solebant. Sponsalia nihil aliud erant nisi stipulatio, eventualiter etiam pro muliere pretii solutio. Quotiescumque autem coniugia per fugam, raptum vel instrusionem initabantur, sponsalia locum non habebant. Consequenter sponsalia nunquam dici possunt prima eaque essentialis pars ipsius matrimonii. Coniugium enim sine sponsalibus initum validum semper considerabatur in iure populari Bulgarico. Nihilominus, quia originarie vix aliquod temporis intervallum inter mulieris emptionem et in domum mariti deductionem intercedere solebat, naturaliter eadem requisita requirebantur eademque impedimenta iuris consuetudinarii ac pro matrimonio vigebant.³⁰⁸ Tantummodo postquam sponsalia separatim a nuptiis celebrari coepta sunt, melius appetet discriminem inter naturam iuridicam utriusque instituti:

a) Nisi copula intercesserit, (tunc datur enim locus instrusioni mulieris), neutra pars ad matrimonium ineundum cogi potest seu non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem, sed tantum ad reparationem damnorum, si quae debeatur.

b) Non eadem, si de impedimentis temporalibus sermo sit, impedimenta ac pro matrimonio vigent.

c) Nullatenus necessaria sunt eadem requisita, sed sufficiunt requisita communia omni negotio iuridico non formalis.³⁰⁹

Leges iuris Byzantini de sponsalibus civilibus applicabantur in Bulgaria solum inter nobiles casu, quo cum civibus imperii Byzantini matrimonia contrahebant.³¹⁰

Alterum problema relate ad impedimenta ligaminis respicit *vinculi matrimonialis indissolubilitatem*. Num Ecclesia Bulgari-

ca usque ad schisma observaverit in iurisprudentia catholicum principium de matrimonii indissolubilitate, iuxta quod matrimonium duorum baptizatorum nulla ex alia causa solvi potest nisi morte, dubium est. (Distinctio inter matrimonium consummatum et ratum tantum illo tempore est adhuc ignota et in Bulgaria ignota semper remansit.)³¹¹ ZSL quattuor causas taxativas divortii enumerat. Respectu ad Eclogam causam adulterii omittit, addit vero „cicatricem malam“ Praeterea requirit ut unaquaeque divortii causa per testes in iudicio comprobetur.³¹² Quae divortii causae, utrum in ipsis tribunalibus ecclesiasticis, an in tribunalibus civilibus tantum admissae fuerint, non constat.

Possibile quidem est clerum Bulgaricum applicasse dispositiones illas Legis iudicialis de causis divortii, nam praeter ipsum tunc temporis pauci tantummodo propter litterarum ignorantiam collectionibus iuris scripti uti poterant.

At utrum sententiae illae nomine Regis, an nomine Ecclesiae latae fuerint, omni cum certitudine verificari nequit.³¹³ Ceteroquin, etiamsi tribunalia ecclesiastica Bulgariae iam ante schisma quattuor illas divortii perfecti causas agnoverit, nihil mirum, nam in Ecclesia Constantinopolitana ipsius matre inde a saec. IV matrimonium solubile erat propter adulterium; propter ceteras causas deinde vel morti vel adulterio assimilatas saltem ab anno 883 divortium perfectum admittebatur. Eodem enim anno novella CXVII imperatoris Iustiniani I in Nomocanonem XIV titulorum inserta est.³¹⁴

Impedimentum diversae religionis: Ne in collectionibus quidem fundamentalibus Ecclesiae Bulgaricae aliqua fit distinctio inter impedimentum mixtae religionis et disparitatis cultus; attamen iam explicavimus verum sensum termini „haereticus“.³¹⁵ Quod impedimentum certe in Bulgaria etiam in ipso christianaee religionis initio momentum practicum habuit; praeter Armenos etiam Iudei et Saraceni heic aderant;³¹⁶ mox secta Bogomilorum diffundi coepta est quae, ut ordinarie fit, in multas alias sectas non multo post saec. XI initium divisa est.³¹⁷ Problemata tamen de validitate aut liceitate matrimonii contracti cum haeretico valide baptizato, vix oriebantur. Etenim ad validitatem coniugii christiani non quidem secundum canones fundamentales, sed

vi consuetudinis ecclesiasticae requirebantur sponsorum coronatio, quae vero non impartebar nisi orthodoxis; casu quo unus sponsorum acatholicus erat, prius religionem christianam catholicam amplecti tenebatur, secus coronatio sponsis denegata est. Matrimonia mixta admittebantur solummodo, quando unus ex acatholicis matrimonio iam antea contracto ad veram religionem conversus est et, si opus erat, etiam baptizatus.

Quam praxim ecclesiasticam ab antiquo in Bulgaria existentem attestatur Theophylactus metropolita Achridanus sub fine saec. XI.³¹⁸

Impedimentum ordinis: comprehendit subdiaconos, diaconos et sacerdotes et iuxta principium superius enuntiatum est dirimens. Utrum laxior praxis, de qua loquitur Leo VI in novella III anni 886, etiam in Bulgaria inventa sit necne, non constat. „Consueta quae in praesenti obtinet“, imperator ille refert, „iis quibus matrimonio coniungi in animo est concedit, ut antequam uxorem duxerint, sacerdotes fieri possint et deinde biennium ad perficiendam voluntatem iungi matrimonio volenti praestituit. Id igitur . . . indecorum esse videmus . . .“³¹⁹ Indicium quoddam corruptionis cleri in Bulgaria vidimus in responso LXXI Nicolai I Papae necnon in articulo XLVIII ZSL longioris redactionis. Certum tamen est mitiorem coelibatus formam quae iam ante a. 866 viguerat inter clerum graecum (cfr. LXX responsum Nicolai I necnon superius allegatam Photii epistulam), post expulsionem missionariorum Latinorum (a. 870) de novo introductam esse. Quod impedimentum neque a Bulgaricis, neque a Byzantinis subdiaconis observatum esse explicare possumus:

a) Ex evolutione historica huius impedimenti quoad' subdiaconos: Prima lex, quae expresse subdiaconos post ordinationem matrimonium inire sub nullitatis comminatione vetuit, constitutio Iustiniani erat.³²⁰ Implicite iam canones: XXVI (XXVII) Apostolorum, XIV Chalcedonensis, XVI Carthaginensis de hac prohibitione loquuntur, nihilominus illam semper particularem tantum, non in toto Oriente vigentem ostendunt. Canones Trullani (III—VI) constitutionem Iustiniani canonisantes, etiam subdiaconos expresse nominant. Utrum vero prohibitio observata sit necne, non constat. Quodsi affirmative, certe iam saec. IX, quo

Bulgari conversi sunt, ut ex relatione Novellae III Leonis VI Sapientis vidimus.

b) E subdiaconatus functione: subdiaconi SS. Sacramentum contrectant tantummodo, i. e. de uno ad alium locum transferunt, non tangunt.³²¹

c) E distinctione inter, „cheirotoniam“, qua confertur diaconatus, presbyteratus et episcopatus et „cheirothesiam“, qua ceteri ordines conferuntur.³²² Nullum etiam dubium nec diaconissas nec viduas extitisse unquam in Ecclesia Bulgarica.³²³ Vix etiam uxores presbyterorum post mortem mariti a secundo matrimonio prohibebantur. De qua enim prohibitione solus Balsamon loquitur, cuius commentarium in Ecclesia Bulgarica nonnisi a clero graeco a saeculo XIII receptum est; in linguam Slavonicam novissimis temporibus traductum est.³²⁴

Impedimentum voti: canonicarum institutione abrogata, impedimentum voti ad impedimentum professionis religiosae reducitur et est pro monachis qui legitimum emittunt votum („micro-schematicis“) absque dubio dirimens. Legitimum votum illud reputatur, quod emititur post noviciatum aetate canonica iam completa in manus Superioris competentis in forma praescripta. Canones quidem non cavent nisi de explicita votorum emissione et de aetate. S. Basilius annum decimum sextum superatum determinat, iuxta canonem XL Trullanum sufficeret aetas decem annorum. In praxi Ecclesiae Byzantinae et probabilius etiam Bulgaricae³²⁵ praevaluit canon S. Basilii. Reliqua validae professionis requisita eruuntur ex epistulis Theodori Studitae, ex canonibus S. Nicephori³²⁶ necnon ex libris liturgicis, qui vix in monasteriis Bulgaricis deerant.³²⁷

Epithymia palaeo-slavonica (Bulgarica) violationem voti monachalis tamquam violationem fidei coniugalis puniunt, solum tamen si religiosus (religiosa) magnum habitum induerit.³²⁸ ZSL loquitur generice de peccato cum monacha. Existentia vitae monasticae in Bulgaria iam tempore regis Borisii (852—888) ex documentis historicis probari potest.³²⁹ Fundamentalis Nomocanon Ecclesiae Bulgaricae in sua parte civili in capite XCII et XCIII describens, quomodo monachi vivere debeant, longe et late de clausura disserit.³³⁰ Secundum imperatoris Iustiniani

novellam CXXIII inde ab initio in collectiones iuris Ecclesiae Bulgaricae receptam matrimonium solvitur „*citra repudium*”, si unus ex coniugibus vitam „*solitariam*”, i. e. monasticam elegerit.³³¹

Ex indulgentia ad ius consuetudinarium Ecclesia Bulgarica *raptum* punisse non videtur: Dum enim Ecloga (XVII, 24) raptum considerat tamquam crimen, inter raptum monachae et raptum virginis laicae distinguens, ZSL brevioris redactionis hunc articulum omittit (XVII, 24). Iam vidimus ex canonibus fundamentalibus existentiam huius impedimenti probari non posse. Recte quidem supponitur³³² Ecclesiam in Byzantio impedimentum hoc ex iure civili recepisse, sed haec praesumptio Ecclesiae Bulgaricae, quae usque ad annum 997 remansit tum de iure tum de facto ab immediato influxu legum civilium Byzantii independens, applicari nequit. Qua de causa praesumenda est potius abrogatio huius impedimenti in Bulgaria. Condescendentia iuri consuetudinario hac in re facile explicatur ex modo, quo raptus fieri solebat: ut raptor securius scopum obtineret, i. e. ut possibilitatem divertiri per derelictionem impediret, matrimonium quam citius consummare solebat. Nam secundum principia populi Bulgarici virginitas mulieris ita aestimabatur, ut mulier deflorata, licet vi, difficilime aliud matrimonium inire posset. Ex alia parte dedecorum esset pro muliere innuptam per totam vitam remanere; propterea fere semper et familia mulieris et raptam ipsa eiusmodi coniugium mox ratum habebant. Quodsi nunc Ecclesia raptum ad normam legum civilium Byzantii castigasset aut matrimonium ipsum annullare conata esset, odium utriusque familie excitaret. Propter quod Ecclesia unice id urgebat, ut consensus liber ab utroque nupturiente praestaretur, quo obtento sponsi coronabantur.³³³

Exinde etiam explicatur, cur *fornicatio* cum soluta (non desponsata nec maritata) praeter poenam obligationem ducendi seductam uxorem secumtraxerit, uti canon LXVII Apostolorum disponit. Etenim aestimatio virginitatis et honesti coniugii quasi individualis necessitas non solum apud Bulgaros, sed etiam apud plures, ne dicam apud omnes, populos primitivos reperitur.³³⁴ Nihilosecius iam tempore S. Basilii ac hac severitate recedi coeptum est, lege praceptiva in permissivam mutata (can. XXV). Quam mitigationem ZSL utriusque versionis confirmat: „Si quis cum vir-

gine (soluta) rem habuerit, parentibus puellae non consentientibus, reconciliatione impetrata, si voluerint uxorem ducere illam nec parentes dissentiant, fiant nuptiae; quodsi alteruter noluerit (matrimonium) et seductor dives sit, solvat pro dehonoratione virginis . . . septuaginta et duos argenteos . . . quodsi seductor pauper sit, pugnaculis castigetur a iudicibus.”

Impedimentum adulterii: adulterium nullum directe constituit impedimentum pro viro. Pro muliere non adulterium ipsum, sed sententia iudicialis eam de adulterio patrato cum viro sive coniugato sive libero condemnans constituit impedimentum absolutum et perpetuum.³³⁵ Adulterium igitur relate ad hoc impedimentum sensu theologico sumitur. Quae inaequalitas inter infidelitatis coniugalis consequencias pro viris et pro mulieribus debetur tum influxui iuris Romani, tum influxui consuetudinum popularium tunc temporis viventium nec iuri Bulgarorum consuetudinario nondum christianisato propter vigentem polygyniam contradicit. Isto sensu adulterii impedimentum in Ecclesia Bulgarica interpretatum esse elucet ex posteriore additione ad Nomocanonem fundamentalem, additione quae caput VII Prochironis continet. Dum enim secundum textum Graecum adulter vir, cum qua peccaverat adulterii criminis condemnatus ipsam tantum ducere prohibetur, iuxta versionem palaeo-slavonicam (Bulgaricam) uxor, quae fidem coniugalem violavit, nunquam alicui nubere potest.³³⁶ Est igitur sententia condemnans mulierem de adulterio sensu theologico sumpto impedimentum perpetuum, absolutum, dirimens.

Impedimenta necessitudinis: iuxta fundamentales collectiones iuris matrimonialis Bulgarici in tres classes dividuntur: impedimentum nempe consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis ex baptismo.

Impedimentum ex consanguinitate iuxta canones et epithymia ad quartum gradum inclusive, computationis civilis, extenditur et quidem secundum canones matrimonia inter consobrinos prohibentur (2+2), iuxta epithymia ut incestum (krvesmilstvo) copula inter filium nepotis et avunculum punitur (3 + 1).³³⁷ Regulæ abstractæ de graduum computatione nondum traduntur. Secundum Eclogam Graecam impedimentum consanguinitatis usque ad sextum gradum aequalem (3 + 3) extenditur.³³⁸ In theoria haec

norma in Bulgaria per aliquod tempus (inter aa. 870—886) círciter) viguit, quam vero ZSL seu versio Bulgarica Eclogae non repetit. Proinde fundamentalis lex de nuptiis incestis quartum gradum consanguinitatis in linea transversa non egreditur.

Impedimentum affinitatis tantummodo ex matrimonio valido oritur, quin inter matrimonium consummatum et ratum tantum distinguatur, inter consanguineos uxoris cum marito et viceversa et inter consanguineos utriusque coniugis ad invicem. Quia abstracta graduum computatio in textibus legislativis nondum adhibetur, minus praecisum sit, si dicatur impedimentum affinitatis ad quartum gradum computationis civilis extendi: Matrimonia (sub sanctione nullitatis) inter virum et matrem et filiam uxoris (cc. 79 et 81 Basili) prohibentur; item inter virum (mulierem) et sororem (fratrem) defunctae uxoris (defuncti mariti) (cc. 19 Apost.; 2 Neoc.; 23, 78 et 87 Basili; 11 S. Timothei), inter patrem et filium cum matre et filia (c. 54 Trull.); inter patrem et filium cum duobus sororibus (54 Trull.); inter duos fratres et duas sorores (ibidem). Iuxta S. Basili principium in canone LXXXVII enuntiatum videatur saltem pro marito (vel uxore) quia „una caro sunt“ impedimentum affinitatis eousque extendi, quo usque consanguinitas patet: seu quibus uxor propter consanguinitatis vinculum nubere non posset, eos nec maritus in matrimonium ducere valet; ait enim S. Doctor „quemadmodum uxor matrem non accipiet nec eius filiam, quoniam nec suam matrem nec suam filiam, sic nec sororem uxor, quia suam uxorem. Et viceversa neque sorori licet sese viri affinibus coniungere „sunt enim in utrisque communia cognationis iuria“. Propterea affinitatis impedimentum quoad coniugem superstitem in linea recta in infinitum extenditur, in linea transversa usque ad quartum gradum inclusive sive aequalem sive inaequalem ($2+2$) ($3+1$); quoad consanguineos utriusque partis ad quartum gradum aequalem tantummodo ($2+2$). Ecloga Graeca quae nihil novi addit, quoad ambitum nostri impedimenti adnotat: „Pro omnibus hisce personis etiam sponsalia sunt prohibita.“³³⁹ Ratio est evidens: agitur enim de impedimento perpetuo. Tamen nihil habet Ecloga Isaurica de impedimento affinitatis ex sponsalibus. Haec extensio non nisi e Prochirone (VII, 10) tardius recepta est.

Impedimentum ex adoptione in sacrosanctis ecclesiis in filium vel in fratrem in collectionibus fundamentalibus Ecclesiae Bulgariae ignotum est. In praxi ecclesiastica certe iam incipiebat.³⁴⁰ Canones fundamentales et epithymia non noverunt *nisi cognationem spiritualem ex baptismo*:³⁴¹ impedimentum exinde derivans matrimonium inter patrinum et filiam spiritualem prohibet, porro inter patrinum et matrem suscepti vel susceptae. Ecloga Graeca³⁴² confraternitatem spiritualem introducit, prohibens matrimonium inter filium patrini cum suscepta, compaternitatem spiritualem magni facit, matrimonio inter filium patrini cum matre susceptae prohibito. Quae extensio quamvis in ZSL recepta non esset, probabilissime per consuetudinem ecclesiasticam mox obtinuit. Sensu caret dubium, utrum impedimentum cognationis spirituallis contrahatur etiam ex confirmatione: sensu caret, non quod plerumque statim post baptismum eodem adstante patrino, confirmationis sacramentum conferretur; nam iam in Ecclesia antiqua, cum quidam haeretici in sinum Ecclesiae catholicae revertentur, reconfirmandi erant,³⁴³ quo in casu confirmatio separatim administrabatur; tamen momentum iuridicum, quo impedimentum fundatur, est susceptio neophyti ex fonte baptismali. Ex eadem ratione nunquam inter baptizantem et baptizatum cognatio oritur.

Praeter liberum nupturientium consensum iuxta canones S. Basili³⁴⁴ *consensus illorum, in quorum potestate nupturientes constituantur, requirebatur*. Ecloga Graeca pro patrefamilias patrem et matrem substituit:³⁴⁵ Uterque legislator consensum parentum vel domini (pro servis) ad validitatem requirit. Tamen Ecclesia in Bulgaria, quia derogavit, melius non recepit impedimentum raptus, necessario ne consensum parentum quidem ad valorem exigebat. In qua praescriptione ius matrimoniale consuetudinarium statim ab initio mitigavit durum principium Romanum et Byzantium „ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur“ (l. 5 Cod. lib. I, tit. 14; fr. 10 Bas. lib. II, tit. 6).

Quartum successivum matrimonium est iuxta canones invalidum; tertium et secundum epithymiis plectitur et coronatio sponsis denegatur, concessa tamen speciali breviore acoluthia.³⁴⁶

Ad impedimenta matrimonialia proprie dicta accedere videtur tacita canonisatio Novellae Leonis VI Sapientis „*de benedictione matrimonii*“.³⁴⁷ Tacitam dico, quia positivum testimonium canonicationis deest; plura tamen exempla habentur nobiles (boljari) Bulgariae in ecclesia coronari esse solitos. Etiam ex responso 3 Nicolai I iam allegato vidimus Graecos inde ab initio docuisse neophytes Bulgaros coronationem sponsorum ad validitatem requiri. Iure igitur praesumere possumus eandem consuetudinem, de qua Summus Pontifex, de novo invaluisse in Bulgaria, missionariis Latinis expulsis loquitur; in quantum in praxim duderetur (de consuetudinis extensione), in capite subsequenti videbimus.

CONCLUSIO.

Ius matrimoniale secundum fundamentales collectiones Ecclesiae Bulgaricae duodecim comprehendit impedimenta:

1. aetatis (saltem usque ad duodecimum et decimum quartum annum completum),
2. ligaminis ex matrimonio,
3. ligaminis ex sponsalibus ecclesiasticis,
4. disparitatis cultus,
5. ordinis (subdiaconatus tantum secundum legem scriptam),
6. professionis religiosae,
7. sententiae, quae mulierem ex adulterio condemnat,
8. consanguinitatis (in linea recta usque in infinitum, in transversa usque ad IV gradum etiam inaequalem),
9. affinitatis ex matrimonio valido (pro coniuge superstite eadem extensio impedimenti valet, quae pro consanguinitate determinata est; pro affinibus inter se usque ad IV gradum aequalem),
10. cognationis spiritualis ex baptismo (compaternitatis, confraternitatis),
11. defectus consensus patrisfamilias (zadruge) vel domini,
12. tertii successivi matrimonii.

Quibus impedimentis tantummodo valide baptizati ligantur. Omnia sunt dirimentia, impedimento ex defectu consensus patrisfamilias et zadruge excepto, quod paulatim in mere impediens transformatur.

Legislatores legitimi praeter Romanum Pontificem, Concilia oecumenica, et topica necnon singuli episcopi agnoscantur. Etiam consuetudo debitum praedita qualitatibus: vetustate, orthodoxia, approbatione saltem tacita a legislatore competente nova impedimenta introducere vel iisdem derogare potest. Dispensatio nondum existit. Improbabile dici nequit existisse in primo Imperio Bulgarico praeter ius consuetudinarium (nationale) etiam ius Byzantino-Slavum civile, cuius collectio princeps erat Ecloga et paulo post ZSL.

²⁴⁶ Hoc produnt clare canones ss. Petri et Pauli IV. V. VII. XII. XIII. compilati sub fine saeculi IV. et initio saec. V. Cf. Funk „Didascalia et Constitutiones Apostolorum“ Paderbornae (1905) II. 85-87; necnon epistola s. Ignatii M. ad Polyc. cap. 5; neque obstat Tertulliani comminatio „De pudicitia“ cap. 4. Cl. studia: Probst „Sakramente u. Sakramentalien“ (1872) 440. Jos. Köhne „Die Ehen zwischen Christen u. Heiden in den ersten christlichen Jahrhunderten“ Paderborn (1931) pag. 74.

²⁴⁷ Acta Apost. XVI. 2; II. Tim. I. 5.

²⁴⁸ Hieron. ep. 7 ed Paris. (1678) I. 55; Sinesius ep. 105 ed. Paris. (1612) p. 246. Cf. Evagr. Hist. eccl. I. cap. 15; Niceph. Callist. XIV. cap. 15; Pagi Critic. ad a. 410 II. n. 37 Cyprian. Epist. de lapsis ad Quirin III. cap. 62; Acta Sanctorum. Januaris II. 460 Febr. II. 874; Baron. Annales ad a. 294 II. 730.

²⁴⁹ Clem. Alex. Stromata III. 1; III. 15; Origenes: Epist ad Rom IX. 37; Homilia in Num. XXIII. 3.

²⁵⁰ Cf. studia monographica S. Schiwietz „Vorgeschichte des Mönchtums“ in Arch. f. kath. KR vol. 78 (1898) 21 et Clementis „Stromata“ III. 12; Didaskalia III. 2; Methodii „Symposion“ III. 14.

²⁵¹ Hoc patet ex disciplina matrimoniali periodi subsequentis Cf. § 2 huius articuli.

²⁵² Cf. Origenes „Comment. in Math XIX. 16.“

²⁵³ Cf. de raptu in §§ subsequentibus, ex quo iure posteriore nonexistentia nostri impedimenti deducitur.

²⁵⁴ Cf. numerosa testimonia apud Zhishman o. c. 99—107

²⁵⁵ Philosophumena l. IX. cap. 12.

²⁵⁶ Can. 1. Pitra I. 451.

²⁵⁷ Can. 10. Pitra I. 445.

²⁵⁸ Laod c. 10, 31. Pitra I. 496, 499.

²⁵⁹ Cf. c. 7 CP I. Pitra I. 611—512 et can 1. S. Basilii Pitra I. 577—578.

²⁶⁰ Zhishman o. c. 367.

²⁶¹ Cod. Theod. IX. 24, 1. 23; Cod. Just. I. 3, 54; IX. 13, 1; Novella 143 et 150; Basilic. LX. 58, 1 (ex Prochirone VII.) etc.

²⁶² Can. 26. Pitra I. 590.

²⁶³ Cf. can. 4, 6, 9, 18—27, 30, 31, 34, 36—42, 46, 48, 50, 53, 77—80, 87 Pitra I. 580—605.

²⁶⁴ Cl. Zhishman (o. c. 475) scribit: „So lange aber das bürgerliche Gesetz solche Ehen (matrimonia coram foro ecclesiastico prohibita) weder verbot noch deren Rechtsbestand störte, mußte sich auch die Kirche — und das ist hier die Hauptsache — auf das Verbot beschränken“ Similiter cl. Esmein o. c. I. 80—81 et 228—229: „tant qu'elle [= l' Église] n'exerça qu'une action purement disciplinaire (sur le mariage) elle ne pouvait produire l'équivalent d'un empêchement diriment que par des voies indirectes en contraignant par ces censures les époux à rompre eux — mêmes leur union.“

²⁶⁵ In ephem Échos d'Orient XIX. (1920) 295—321.

²⁶⁶ Cf. Kurtscheid o. c. pag. 199.

²⁶⁷ Cf. Souarn: Un empêchement canonique cher les Grecs“ in „Échos d'Orient“ III. (1899—1900) pag. 257—259.

²⁶⁸ Cf. can. 9, 21, 34, 37, 46 Pitra (l. c.)

²⁶⁹ Cf. can. 1. Pitra I. 577—578.

²⁷⁰ Cf. notam 248.

²⁷¹ Cf. can. 18, 19, 20, 24. Pitra I. 587—590.

²⁷² False deducunt quidam ex can XXIV. s. Basilii terminum ad quem relate ad viduam. S. Doctor loquitur heic de viduis consecratis!

²⁷³ Can. 22, 25, 30, 53. (Pitra l. c.)

²⁷⁴ Cf. P. Weckesser „Das feierliche Keuschheitsgelübde der gottgeweihten Jungfrauen in der alten Kirche“ in Archiv f. kath. KR (1896) 83, 187, 321. — In. Fensi „Das Institut der gottgeweihten Jungfrauen — sein Fortleben im Mittelalter“ (Dissertatio) Freiburg in d. Schweiz (1917).

²⁷⁵ Van Hove „Prolegomena“ n. 113—115.

²⁷⁶ Rhalles — Potli Σ III. 548—550.

²⁷⁷ O. c. pag. 106—119.

²⁷⁸ Adhuc a. 1295 et 1255. Cf. Rhalli Σ IV. 477 Σ V. 390.

²⁷⁹ O. c. pag. 76—81.

²⁸⁰ Protestatus est ex. gr. Patriarcha Tarasius (a. 784—806) Cf. I. I. Sokolov qui in suo studio „О поводахъ къ разводу въ Бизанції IX.—XV. вѣка“ in periodico „Христиан ское чтеніе“ (1909) LXXXIX. ноябрь usque ad. (1910) XC. декябрь pag. 1496—1501 revera ad diversas conclusiones a cl. Zhishman pervenit.

²⁸¹ Cf. can. 3, 6, 12, 13, 26, 30, 40, 44, 47, 48, 53, 54, 72, 92, 94, 99 Pitra II. 23—69. Impedimenta enim iuris ecclesiastici in canonibus fundamentalibus Ecclesiae Byzantinae expresse stabilita ad novem reducuntur. Modo transgressio impedimenti ordinis sacri vocatur „aliena et adulterina congressio omnino divellenda“ (can. 3. Trull.); transgressio impedimenti defectus consensus parentum aut dominorum vocatur „fornicatio quae non est matrimonium nec matrimonii initium“ (can. 26, 40—42 Basil. can. 2. Trull) — transgressio impedimenti ligaminis ex sponsalibus (ecclesiasticis) vocatur „communio dissocianda adulterii crimini subiicienda“ (can. 98 Trull) — transgressio impedimenti disparitatis cultus irritat nuptias (can. 72. Trull.) — transgressio impedimenti voti publici castitatis appellatur, fornicatio

pro matrimonio non reputanda" (can. 6, 18—20, 24 Basil; can. 2, 44 Trull.) — transgressio impedimenti polygamiae successivae appellatur „belluina polygamia, non amplius coniugium, maius fornicatione peccatum" (can. 4, 5, 80 Basilii) — transgressio impedimentorum cognationis appellatur nefarium contubernium a quo postquam copulati destiterunt, fornicatorum poenis subiciantur" (can. 78, 79, 87 Basil. can. 2, 53, 54 Trull) — Quia dein ex una parte institutum separationis a toro et mensa in Ecclesia Byzantina non cognoscitur can. 102 Carthaginensi non obstante qui in Occidente compilatus et in Ecclesia Byzantina ut provisorius interpretatus est — ex altera parte Ecclesia semper severissime communionem vitae pro coniugibus urgebat (cf. canones Gangrenenses; ex quo origo differentiae in praxi coelibus clericorum explicatur); patet prohibitionem matrimonii contrahendi coniunctam cum praescriptione dissociationis nefarii coniugii esse prohibitionem ipso iure irritantem actum (negotium) acanonicum. Ex qua ratione merito supponi potest impedimentum adulterii (aut melius impedimentum proveniens ex sententia condannante uxorem adulterii) quod impedimentum in nullo canone expresse statuitur, sed inter lineas canonum facillime reperitur, in praxi ecclesiastica existens: esse impedimentum dirimens.

²⁸² Cf. Zhishman o. c. ubi de evolutione historica uniuscuiusque legis matrimonialis! Idem pro archiepiscopia valet cf. sect II. cap. III. art I.

²⁸³ Can. 40—42 s. Basilii (Pitra I. c.)

²⁸⁴ Ita vi ipsius iuris divini naturalis.

²⁸⁵ Cf. terminologiam Graecam canonum in nota 281 et 263 allegatorum cum respectivis legibus civilibus in meteria matrimoniali!

²⁸⁶ Ita in disciplina universae Ecclesiae usque ad saeculum XI. cà. Cf. Vering „De principiis dispensationum" in Arch. f. kath. KR (1887) I. 577 sq.; Scherer „Handbuch I. 172 sq.; Zhishman 713 sq. Item sect. II. cap. III. art I. et caput IV. art I. u. 2 nostri studii.

²⁸⁷ De facto impedimenta etiam impedientia non statuuntur nisi in synodis; modo in synodis permanentibus singularum Ecclesiarum autocephalicarum. De potestate singulorum episcoporum quoad impedimenta dirimentia cf. partem II. cap. III. § 1 nostri studii.

²⁸⁸ Cf. studium cl. A. Pavlov: „Анонимная греческая статья о преимуществахъ Аонстантинопольского патріаршата престола и древне „славянскій переводъ ея съ друмъ важными дополненіями" in „Виз. Временникъ" СПБ (1897) IV. 143—154 necnon studium cl. M. Jugie: „Le plus ancien recueil canonique slave et la primauté du Pape" in „Bessarione XXXIV (1918) 47/55. „Пъдобаетъ же въдѣти тако приметъ съ непріятенъ аудеть ѿ блаженааго папеже Лва. тогда старого Рима прѣстолъ правѧщааго ни съвѣща на се стому въ Калхидонъ събору, нъ и въ списка къ събору нимъсоже такова пріяти ему тако по поновленїи двовѣрю тогда сущааго еппа Костѣтина града. Анатвлю сому быршио. Шѣмъ и не въписата въ томъ приметъ суще одрѣшиискъ въ соборъ еппи нѣцїи нт тако же рече таковыи пвичетъ. Зане црствовати старейшему Риму. Чьсувь сму ѿдаша стїу оїи нъ съвѣще изначала ѿ Бжїа бллодати степени ради вѣры, то еже реши върховному ѿ аплъ Петру.

иако отъ Тѣ Иѣ Хѣ самого гласть слышавше. Петре людишт ли мя [;] паси овца мож чьсть варившихъ въ чистителхъ чинъ и пръвое сѣдалище притѣжа. Аще до таکоже рекоша. прѣдлежащее слово устроивше. зане цръстовати ссарѣйшиму Риму и чьсть притажати. нынѣ же Костжинту граду црътсвующу. тъ наслѣдъ чть.

Вѣсто да есть. иако въ Медиоланѣ и въ Равени въ граду цреве сѣдота ихже полаты и до нынѣшнѣго дне стожь. и не того ради градома тъма чьсь подана бысть. ибо чистительского стну чьсть и вареніе не ѿ бжественааго иѣбранїа и ѿ апостольскыи области почтенъ бысть. Аще до стїи оци градѣ Иерлмъ црѧ ради цръстсвующихъ. Ба Та нашего Ис Ха и прииѣтую его страсть почисти хотже. митрополіа чьсть ему оутвердиша а не шатріарскаго строенїа подаша. не возмогъше Ѣложити прѣдѣла та же истиннїи вѣры противѣдници положиша. иако есть моцно урж ради земльнааго бжественыхъ дры и апостольскыи чести прѣлагати и непорочныи вѣры обнавлѧти повелѣнїа [;]. Неподвижими нубо до скннчанїа суть ста-реишааго Рима чести. тѣмъ таکоже начинаи всѣхъ црквъ. въ сты (ихъ) дсея вселеныи съборѣхъ того стител чисти ради не нубитъся спходит[и]сѧ дес съвѣщанїа же того нѣкими послаными ѿ него сущи[ми] подъ прѣстоломъ его всета вселеныи съборѣ не бивааще. и еже самъ оуправляюща начинати въ соборѣ. Аще ли нѣции противу таївлютъ сущему слову. иако не такому о сихъ бывати. хотѧ[й] да испытает писаное ѿ тогоже прѣблаженаго папежа Лва Маркиану и Плѣхерии въ кончину блочествима. еже и къ ременому еппу Костянтина града Анатолию и ѿ тѣхъ истину таа увѣсть“ ed. A. Pavlov o. c. pag. 150—152.

289 can. 6, 7 Nic. I. et 87 s. Basili (Pitra l. c.

290 Ita s .Ambrosius: epist. LX ad Patern. c. 8 (ML [16] 1185) Leonis I. epist. ad Rusticum Narbonensem in c. 12 C XXXII q 2.

291 Cf. cap. I. praeliminare § 4 n. II. nostri.

292 „Συνισταται γάμος χριστιανῶν... μεταξὺ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς τοῦ εἶναι ἐκα-
τέρων τὴν ἡλικίαν πρὸς συνάφειαν ἡρμοσμένην, τοῦ μὲν ἀνδρὸς ἀπὸ οὐκέτοις χρό-
νου τῆς δὲ γυναικὸς ἀπὸ οὐκέτοις χρόνου...“ Eccl. II 1 ed. A. Spulber pag. 12.

293 ai „Насиловавши девицѣ не одрученникѣ прежде времене двадес ти лѣтъ да продасться со всѣмъ имѣніемъ своимъ и отдасться дѣвицѣ“ ed. Bobčev pag. 95.

294 Дѣства же пакы растлѣніе то прѣгрѣщеніе е ѿ Глѣтъ еже от-
роковицѣ двоу сунѣ прѣвозвасти рекше пре шестинадесѣ лѣтъ раст-
лити“ editio Zaozerskij pag. 25.

295 „и Приложисѧ въздѣвящисѧ прежевремене к лѣтъ да продаетъся
съ всѣшъ имѣніемъ своим и отдается дѣвици“ edit. Bobčev pag. 88.

296 Inst. I. 10 princ.; I. 24 C V 4; I. 3 C V 60; Basil. XXVIII 1, 7; XXXVIII 19,
3; Prochiron IV 2; Ecl. II 1.

297 Ita in tit. II β' ubi enumeratis requisitis validi matrimonii (inter quae etiam
aetas continetur) addit: „ἐπὶ τούτοις ἅπασι τοῖς προσώποις μηδὲ μηηστείαν γνω-
ρίζεσθαι“.

²⁹⁸ False ut etiam diximus provocant quidam (Milaš § 181, pag. 585; Zankow §. 39, pag. 118) ad 24. s. Basili canonem, ut existentiam probent normae ecclesiasticae relate ad terminum ad quem aut relate ad differentiam aetatis inter coniuges: canon de viduis Deo consecratis loquitur.

²⁹⁹ ὅμοίως δὲ λύεται καὶ ἡ γυνὴ ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς διὰ τοιαύτας αἰτίας: ἐὰν ἀδυνατήσῃ δὲ ἀνὴρ ἐπὶ τριετίᾳ ἀπὸ κακοῦ τοῦ γαμικοῦ συναλλάγματος τῇ οἰκείᾳ μογῆναι γυναικί . . .” II. 13 edit. Spulber pag. 23.

³⁰⁰ Corespondet in ЗСЛ глава 31^a (in breviore red.) 32^a (in longiore): Паки же разлучается жена отъ мужа своего, аще . . . что отъ него ключится прежде даже шесвіа въ злоу тазву (brev. red.: въ злу тазу) впости” edit. Bobčev pag. 92, 97.

³⁰¹ Cf. Th. Saturník „Příspěvky k šíření byzantského práva u Slovanů“ Praha (1922) cap. „důvody rozluky).

³⁰² Cf. ex gr. Marinov IV. 166—167.

³⁰³ Blagoev „Изворътъ за историята на българскаго право“ in С.Б.Ак.Н. VI. (1916) 40—45 et textus ibidem alegatos.

³⁰⁴ ЗСЛ глава д е utriusque redactionis ed Bobčev pag. 86, 84.

³⁰⁵ Cf. novellas a. 1084 et 1092 Σ I 284, Σ V. 284 et 286.

³⁰⁶ Ferrari o. c. Byz. Zeitschrift XVIII 169.

³⁰⁸ Zbisman o. c. 394.

³⁰⁹ Cf. resp. 49 Nic. Pp. et reconstructionem iuridicam sponsalium epochae paganae apud Baldžiev o. c. VII. 111—138.

³⁰⁹ I. c.

³¹⁰ Cf. notam 41.

³¹¹ Cf. rect. II. cap. III. art. I. n. III. 6 lit. b, α) et idem retinuit ius ecclesiasticum sub dominatione Ottomana quod paucas tantum modificationes subiit: cf sect. II. cap. IV. art. I. et conclusio finalis partis historicae.

³¹² Ecl. II 12—13 e contra ЗСЛ гл. 31 et 32 „Се же все достоить имъ с послоухы испытати и судитамъ яко же писахомъ всюдъ валимъ всѧ дешинь нияцъ людъския въ великии съ соудъ Божии имать осужати“ ed. Bobčev p. 92, 97.

³¹³ Cf. notam 291.

³¹⁴ Nk XIII 3 Pitra „Monumenta“ II 612—613.

³¹⁵ Cf. art. I huius capit is § 3 n 4.

³¹⁶ Resp. CVI Nic. I. Pp.

³¹⁷ Jlić A. Jordan „Die Bogomilen in ihrer geschichtlichen Entwicklung“ Srđan Karlovec (1923) „Богословски книги и легенди“ Sofia (1925); Rački Fr. „Bogomili i Patarenii“ in „Rad.“ vol. VII—X; Sharenkoff „A Study of Manicheism in Bulgaria“ New—Jork (1927); Dosev Christo „История и учение на аогомилството“ Sofia (1924); Cuchlev „Анти-църовни движение въ България през XIII. и XIV. вѣковъ“ in „Дух. култура“ (1925) 64; (1926) 204; (1928) 65—167.

³¹⁸ „Τπόθεσις τῆς πρὸς Κορίνθους πρωτῆς ἐπιστόλης“ κεφ. 5' MG (124) 644—645.

³¹⁹ „ἡ ἐπὶ τοῦ παρόντος κρατοῦσα συνήθεια τοῖς πρὸς γάμον συνάπτεσθαι λο-

γιαμδὸν ἔχονσι δίδωσιν εἰς ιερέας πρὸ τῆς μηνηστείας τελεῖν, εἴτα μέχρις ἐτῶν δύο τῷ βουλομένῳ γήμασθαι περαινεῖν δοθέει τὸ βούλημα. Τοῦτο τοίνυν ἐπεὶ μὴ πρέπει πον ὀρῶμεν...“ ΔΙΑΞΙΣ Τ' MG (107) 429.

320 I, 45 C I 3.

321 „Σημείωσαι“ notat Balsamon ad can. XXVIII (*κέ[λγ']*) Carthaginensem „ὅτι καὶ οἱ υποδιάκονοι τὰ ἄγια μεταχειρίζονται . . . αλλ’ ὅτι ἔτερον ἐστι τὸ ψηλαφῆν καὶ ἔτερον τὸ ἀπτεσθαι. Τὸ μὲν γὰρ ψηλαφᾶν ἥγονν τὸ μετακινεῖν ἀπὸ τόπου εἰς τόπον υπηρεσίας ἐστὶ καὶ οὐδὲ διποδιάκονος τοῦτο ποιεῖν ἐμποδισθήσεται· τὸ δὲ ἀπτεσθαι μόνοις ἐνεδόθη τοῖς ιερεῦσιν καὶ τοῖς υπουργοῦσιν ἐν τῇ θυσίᾳ ἥγονν τοῖς διακόνοις“ ita in editione MG (138) col. 124. Editio Rhalles Σ III 371 habet quidem in propositione „et ne subdiaconus hoc facere prohibetur“ — „καὶ οὐδὲ διακόνος τοῦτο ποιεῖν ἐμποδισθήσεται“ quae diversitas, uti ex contextu liquet nihil aliud est nisi evidens error typographicus.

322 Cf. can. II. Chalced. et commentaria Zonarae et Balsamonis (Σ II 218—240).

323 Nam iam saeculo VIII. disparuerunt: cf. Ketter „Urchristliches Frauenapostolat“ in „Bonus Pastor“ (1937) XLVIII n 1 pag. 7.

324 Цанковъ Ст. „Правилата на Православната Църква“ Sofia (1912).

325 Quoad praxim Ecclesiae Constantinopolitanae cf. Zhisman o. c. 489—491. Pro Ecclesia Bulgarica eadem praxis supponi potest propter continuum contactum cum Byzantio praesertim inter monachos!

326 Theod. Stud. Epp. II. ep. 164, 166, 203, 215 in MG (89) 1519—1654; Canon. I, Niceph. Σ IV. 429—431.

327 Libros liturgicos medioaevales edidit Syrku (o. c.) et reedidit Kalužniacki (o. c.) Cf. introductio „de litteratura et collectionibus!“

328 О прѣлюбодѣяніи: Прѣлюбодчаніа єже ѿ оно глы... тако и величији скиныци чернорцы ѵ Черницию идѣж ѿде прѣлюбодѣйство есть любодѣйство є ѵ любодѣйства пріати заповѣдъ...“ edit. Zaozerskij pag. 25.

329 Cf. numerosissima documenta apud Сырку „Время и жизнь патриарха Евимия Терновского“ СПБ (1898) pag. 24—50 in nota [3]!

330 Beneševič „Syntagma XIV titulorum sine scholiis secundum versionem paleo-slavonicam“ Petropoli (1906) pag. 829—837.

331 Ibidem pag. 792 „аще ли съшествавътъся бракоу моужъ юдина вънитъдесть въ манастырь да разроутътъся бракъ и дес прекословия“ гл п’.

332 Zhisman o. c. 561 sq. — J. Dauviller — C. de Clerq. o. c. sq.

333 Patet Ecclesiam statim consuetudinibus populi cessisse. Ad quaestionem notat cl. Bobčev: „нашите христовули споменаватъ за дѣвимій разбой равнознамущъ съ дѣвимій татъ. Какво нѣщо е билъ тоя дѣвимій татъ и разбой? Знае се, че наказанията — глода и масти обезщетения — въ старина въ извѣстни слумаи сѧ носили сѧщите наивания съ прѣстапленията: прочее, дѣвичій разбой или тат за който ни говори напр. христовулътъ на Константина Асѣнъ Тиха даденъ на Верчинския Мънастиръ не е нищо друго освѣнъ глубата която се събирала като накасанит за отвлечане на момата. Подъ чие и какво въздѣйствие тоя нормаленъ редъ на сключване бракъ се обѣща въ неправиленъ редъ, въ прѣстапно и наказуемо дѣяніе

може само да се прѣполага: (Suppositionem hanc enuntiaverunt iam cl. Vladimirsij-Budanov „Обзоръ исторіи русскаго права“ ed. 3. Kiev 1900 pag. 408) А това прѣположение е, че каноническото право... сѧ намѣрили за добѣ да реалиратъ срѣщу тоя „езически обычай...“ ita in suo opere „Droit contumier pénal bulgare“ publici iuris facto in SNU XXXVII. pag. 80.

³³⁴ Apud populos orientales cf. J. Dauviller — Carlo de Clercq o. c. pag. 56, 90, 91, 101, 108, 115, 118.

³³⁵ Cf. notam 268.

³³⁶ De additione capit is VII Prochironis ad Nomocanonem palaeo-slavonicum (palaeo-bulgaricum) cf. apud A. Pavlov „Первоначальный славяно-русскій помоканонъ“ Казањ (1869) pag. 23, nota 42. — ид ‘О єпї мохвіа ѹунаикð хатїугог(ηθέις οὐ δύναται ταύτην γαμετὴν ἀγαγεοῦσαι κδ И жена ѳще ўглаголана додетъ въ прелюбодѣяній никмо же не можетъ єж пости в жену.’

³³⁷ can. 54. Trull. (textus palaeoslavonicus editus a cl. Beneševič o. c. 179—180) — Epythimia edita a cl. Zaozerskij o. c. pag. 27, 29.

³³⁸ Ecloga II β'.

³³⁹ Cf. notam 297.

³⁴⁰ In Byzantio enim inde iam a saeculo X. adoptio in flium in ss. ecclesiis in usu erat ordinario (Cf. novellas XXIV et LXXXIX Leonis VI. Sapientis ed. MG (107) 475—478; 601—604) quia vero praecise in prima medietate saeculi X incipit hellenisatio nobilium Bulgarorum sub regno Petri (927—968) certe etiam hoc institutum a nobilibus receptum est. Cf. Jireček „Dějiny“ cap. VIII, 134—135; cap. IX. 141.

³⁴¹ can. 53 Trull (ed. Beneševič pag, 178—179). Epithymiorum versio est defec-tuosa: ‘Εστὶ δὲ καὶ ἡ πνευματικὴ αἱμοικία εἰς δύο διηρημένη εἰς ἣν τις ἐδέξατο θυγατέρα καὶ εἰς αὐτὴν ἐκείνην τὴν ἰδίαν συντέκνισσαν.’ „Есть духовное & блждѣ на двое раздѣлено виеже аще аще кто пріять кто дщерь й съ самою тою рекъ къмою.“ ed. Zaoz. pag. 31. (cf. ibidem versionem Gruzinam quae est clarior quam originale Graecum)

³⁴² Eccl. II β'

³⁴³ De qua materia s. Basilius in can I. (Beneševič 461—465) optime disserit. Item Timotheus presbyter Ecclesiae CPanae „Три чины обрѣтаюемъ ѿ приходящихъ къ стѣи бжии съборынѣи и апльстѣи цркви и първый бо чинъ юесть трѣбоующиитъ стло кръщениїа. Въторыи же не христимчихъ нъ тъкъмо мажемаихъ стмъ нуръмъ. И третии ни кръщаюмыимъ жо ни мажемыимъ ну тъкъмо проклинающиихъ свое и всю иноу ереспу.“ Cf. Beneševič 707 sq.

³⁴⁴ can. 40—42 — ed. Beneševič pag. 491.

³⁴⁴ Eccl. II ἀ Συνίσταται γάμος χριστιανῶν... ἀμφοτέρων θελόντων μετὰ τῆς τῶν γονέων συναινέσεως“ ed. Zepou-Zepou Athenis (1931) 18—19.

³⁴⁶ can. 17, 18 Apost.; can. 8 Nic. I.; c. 1 Laod.; can. 4, 41, 50, 80 s. Basilii (Beneševič (l. c.) De vetita coronatione bigamorum edocemur ex documentis posterioribus, sed in praxi ecclesiastica certe inde ab initio in Bulgaria regula s. Theodori Studitae applicabatur: cf MG (99) 1090—1095 Cf. caput III. art. I. n. II-6 nota 380 et n. III-6 litt. d. et art. II eiusdem capit is § 2 n. 7.

³⁴⁷ Novella LXXXIX MG (107) 601—604.

³⁴⁸ Cf. ex gr. Mikosich-Müller „Acta et diplomata sacra et profana Medii aevi“ Vindobonae (1860) reedita in MG (152) cf. col. 1379 sq.; Cf. etiam Jireček „Geschichte der Bulgaren“, Prag (1876) 258, 321.

C A P U T III.

EVOLUTIO IURIS MATRIMONIALIS IN BULGARIA MEDIOAEVALI (SAEC. X.—XIV.)

A r t i c u l u s I.

Iuris matrimonialis in autonoma Metropoli Achridana vicissitudines.

Modificationes iuris matrimonialis in Archiepiscopia Achridana sub duplice adspectu considerari possunt: vel relate ad ius primorum Nomocanorum versionis palaeo-slavonicae, quod ius modo minute descriptsimus, vel relate ad ius matrimoniale Patriarchatus Constantinopolitani.

§ 1: Sub primo adspectu primae eaeque substantiales mutaciones in disciplina matrimoniali vel mox post schisma definitivum vel potius ante ipsum³⁴⁹ introductae sunt:

Omnes canones Conciliorum oecumenicorum, topicorum, SS. Apostolorum ac Patrum canonicorum, consequenter etiam illi, ubi de impedimentis matrimonialibus, declarantur immutabiles a qualibet alia auctoritate (systema synodalismi). Systema synodalismi penetrat etiam et informat regulas generales de consuetudine, ut Demetrius Chomatenus explicat: „Non scriptam Ecclesiae consuetudinem ut legem obtinere: luminare mundi magnus sancivit Basilius. Quando igitur longa est et synodali iudicio applosa, probata corroborataque fuerit, tanquam firma obtinet. Quae autem talis non est, eam plane reiiciunt. Nam quae synodice considerata et cognita sunt, meliora et firmiora sunt iis, quae ab uno decernuntur.“³⁵⁰ Notandum systema synodalismi de facto paulatim invaluisse in Ecclesiis Byzantinis iam plura saecula ante schisma, nunc vero officialiter et expresse consolidari, stabiliri, declarari.

Quoad dispensationis oeconomiam idem retinetur principium, nempe: ius dispensationes elargiendi tantum respectivo legislatori competit, ceteris vero solum ex expressa concessione eiusdem et servatis limitibus ab ipsomet stabilitis. Quia tamen canones fundamentales de impedimentis nullam unquam gratiam faciunt, consequenter omnia impedimenta a septem Conciliis oecumenicis stabilita aut confirmata (recepta) fiunt indispensabilia.³⁵¹

Relatio etiam ad ius matrimoniale Byzantium civile mutatur. Dum enim ante schisma ius civile ad supplendum et confirmandum ius ecclesiasticum inserviebat, propterea in conflictu canonis cum lege norma ecclesiastica praevalere debuit, nunc ius ecclesiasticum valorem in singulis autocephalis Ecclesiis Orientis non adquirit, nisi alicuius hierarchae decisiones ab imperatore confirmantur. Voluntas Caesaris tum canonibus oecumenicis, tum consuetudini ecclesiasticae praevalet.

En, quomodo e. g. Demetrius Chomatenus respondet Constantino Cabasilae, archiepiscopo Dyrrhacii interroganti: „An oporteat eum, qui electus est (Episcopus) et suscepit dignitatem amplexusque est ipsam transferri in aliam episcopen.“ „Hoc canonicum quidem non est, neque scriptae aut non scriptae traditionis ecclesiasticae (Revera canones 14 Apostolorum; 1 et 2 Sardenses a. 343; 6 Chalcedonensis a. 451 et deinceps Nomocanon XIV titulorum tit. I c. 26 et 27 talem translationem severissime prohibuerat). Fit autem saepe iubente principe... et factum est tempore incliti imperatoris domini Manuelis Comneni Porphyrogenetae... sola igitur... imperatoria iussio mutandi haec innovandique potestatem habet. Imperator enim ut communis Ecclesiarum ἐπιστημονάρχης existens et nominatus synodalibus praeest sententiis et robur tribuit. Ecclesiasticos ordines componit et legem dat vitae politiaeque eorum, qui altari inserviunt... Et, uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto ministerio reliqua pontificalia privilegia imperator reprezentat, quando legitime canoniceque facit...“³⁵²

Idem metropolita in suis canonicas responsis de nuptiis prohibitibus vel licitis ad leges imperatorum prius provocat et dein ad synodales Patriarcharum Constantinopoleos decisiones.³⁵³

Utrum hoc principium et haec iurisprudentia Demetrio Chomatiiano propria, an omnibus Achridae metropolitis communis fuerit,

ex positivis documentis quidem erui nequit, tamen fundata adest praesumptio: archiepiscopos Achridae inde a Leone (a. 1025) magis quam Patriarchas Constantinopoleos caesaropapismo indulsisse, non solum quia persaepe ante suam ad sedem Achridensem electionem officiales erant Imperii, propterea potius iuristae quam canonistae,³⁵⁴ potius servi imperatoris quam servi Dei, sed etiam et praesertim, quia conservatio ecclesiasticae autonomiae huius Archiepiscopiae, quam zelotype custodiebant, per saecula a voluntate imperatorum Byzantii dependebat et ipsi singulorum metropolitarum electioni a synodo archiepiscopali peractae confirmatione ab iisdem imperatoribus opus erat.³⁵⁵ Spiritum caesaropapisticum probant etiam carmina et sermones panegyrici in familiam imperialem archiepiscopi Achridae Jacobi.³⁵⁶

Propter modo insinuatam fusionem vel melius superpositionem iuris Byzantii civilis iuri ecclesiastico etiam in disciplina matrimoniali verificatam retinetur principium de lege irritante et inhabilitante, iuxta quod „nihil quod contra legis sententiam factum est valeat, sed inutile sit, etiamsi specialiter legislator non dixerit.”³⁵⁷ Idcirco omnia impedimenta stricte dicta, nisi aliter expresse caveatur, dirimentia sunt. Quia nulla differentia inter ius matrimoniale civile et ecclesiasticum agnoscitur, distinctio matrimoniorum irriorum in incesta et illegitima omnino evanuit et promiscue adhibetur.

E numerosis actibus canonicis Demetrii Chomateni cognoscimus applicatam esse in iurisprudentia matrimoniali huius archiepiscopiae aliam impedimentorum divisionem, distinctionem scil. inter impedimenta iuris publici, quibus urgendis privatorum pactis renuntiari nequit, et impedimenta iuris privati, quibus urgendis privatorum pactis renuntiari potest. Ad secundam classem impedimenta impotentiae et aetatis pertinent.³⁵⁸

Alia impedimentorum divisio in praexistentia et supervenientia, quam Theophylactus insinuat,³⁵⁹ iam efformatam doctrinam de solubilitate vinculi matrimonialis supponit. Ad secundam classem iuxta Theophylactum adulterium mulieris iudicialiter probatum pertinet. Certe etiam susceptione proprii infantis ex fonte baptismali matrimonium solvebatur.

Occurrit etiam, licet sporadice, terminus ipse impedimentum

ἡ κώλυσις, ἡ ἐπιτρόπη, ἡ κωλύμη³⁶⁰ plerumque vero loquuntur textus de matrimoniis prohibitis aut in specie de coniugiis vel conviventiis incestis, nefariis, illegitimis, nullis; ex qua terminologia non patet, utrum impedimentum sensu stricto, an sensu lato concipi solitum sit.³⁶¹

Principium de sponsalium ecclesiasticorum cum matrimonio exaequatione quasi immediate a Byzantinis receptum est. Iam Theophylactus refert: „Sanctus Evangelista Mathaeus (1, 16) virum Mariae nominavit eum (S. Iosephum) iuxta communem consuetudinem. Etenim morem habemus sponsum adhuc procul agentem *virum* dicere sponsae, etiamsi nondum habitae sint nuptiae“.³⁶² Vagam dictionem Theophylacti theologi iuridice explicat et confirmat Demetrius Chomatenus in suis consultationibus.³⁶³

Maximae immutationes etiam quoad singula impedimenta introductae sunt. Solum hoc statim notandum est: ius matrimoniale huius archiepiscopiae non fuisse ad amussim identicum in ipsa dioecesi Achridana, ad quam deferebantur causae matrimoniales in secunda et ultima instantia, ut in singulis eparchiis suffraganeis, ubi aliquando saltem Episcopi Slavi instituebantur, qui procul dubio versiones Slavonicas Nomocanonibus Graecorum in sacramento matrimonii administrando praeferebant.³⁶⁴ Quia tamen de vicissitudinibus iuris matrimonialis Byzantino-Slavici in articulo sequente sermo erit, heic ius matrimoniale archiepiscopiae ipsius referemus.

Usque ad saeculum XII documentis caremus de reformis sive legislativis sive iurisprudentialibus singulorum impedimentorum; ipsa enim huius celeberrimae Archiepiscopiae origo historico-canonica nondum perfecte explorata est. Certum est illam directam esse primo imperio Bulgarico durante ipsoque expugnato usque ad a. 1025 ab archiepiscopis Bulgaris ritus Byzantini-Slavici.³⁶⁵ Fortasse aliquae ex additionibus ad fundamentalem Nomocanonem palaeo-slavonicum (de quibus in articulo sequente) vel factae vel facienda ab ipsis ordinatae sunt. Post Macedoniae a Byzantinis anno 1025 occupationem Leo Paphlegonicus metropolita electus est, qui fuit ex principalibus promotoribus dissidii inter Ecclesiam Orientis et Occidentis. De facto iam sub ipso magna pars Bulgariae ab unione cum Petri Cathedra avulsa est; qua-

de causa synodalismi et caesaropapismi principia iam obtinebant.³⁶⁶ Nihilominus praedictorum principiorum color de persona ad personam varietatem exhibet. Dum enim aliqui ex Archiepiscopis Achridensibus odio adversus Ecclesiam Occidentis pulsi ipsos Patriarchas Constantinopolitanos superabant, alii mentem ad unionem propensam ostendunt. Ita praesertim pluries iam allegatus Theophylactus, qui in suo „Libro de iis in quibus Latini accusantur“ concludit: „Multa videntur Latini peccare, nempe quod... clericorum matrimonia dissolvant, laicorum vero indiscriminatim permittant... Fortasse vero exsurgens hic aliis ex valde fidelibus et fervidioribus zelatoribus nos etiam inscientiae et crassioris in rebus sacris iudicii vel incuriae a nostrarum rerum prodigionis condemnabit... Ast ego et ista ipsa (in quibus Latini peccare videntur) alia quidem nullius emendationis indigere puto; alia autem mediocris et talis, ut si quis eam perficiat, modicum Ecclesiae beneficium impendat; sin vero, non sit hoc inter damna computandum. Quod autem mihi omnium maxime videntur Latini communionem, iis qui sapiunt, exosam facere, quodque, ni corrigatur, magnum afferre potest detrimentum hereditati Filii Dei quam in gentibus adquisivit... est innovatio in symbolo fidei (Filioque)“.³⁶⁷

Anno 1143 ad dignitatem archiepiscopalem Joannes Comnenus, nepos imperatoris eiusdem nominis, evectus est, qui nomocanonem a seipso adhuc monacho compilatum³⁶⁸ secum attulit. Innovationes, quas continet, respiciunt:

Impedimenta necessitudinis: Fortasse prima vice theoretice regulae computationis graduum pro consanguinitate explicantur. Textus ex ignota hucusque paraphrasi Graeca libri III. Institutionum Iustiniani tituli VI „de gradibus cognationis“ desumptus est.³⁶⁹ Relationes parentelae dicuntur quidem implicatae ita ut „a multis licet scripto (i. e. licet tabulis utantur) nec cogitari nec discerni nec etiam dinumerari possint“.³⁷⁰ Nihilominus nulla in toto nomocanone impedimentorum necessitudinis extensio appareat. Imo et fratrificationis impedimentum, quod certe initio agnoscebatur, saltem in quibusdam eparchiis, nunc expresse reprobatur: „fraternitates monachi facere vetantur; idque graviter prioribus aut praefectis monasteriorum Ecclesia iniungit;

neque enim ullo modo lex admittit eas, quae vocantur fratrificationes".³⁷¹

Impedimentum ligaminis: adhuc sub fine saeculi XI Theophylactus Achridanus ita explicat matrimonii indissolubilitatem, ut duae tantummodo divortii causae videantur admitti, mors scilicet et adulterium. In commentario ad textum Evangelii S. Lucae XVI, 16—18 adnotat: „Omnis qui dimittit uxorem, excepta causa fornicationis scilicet, et dicit aliam, adulterium committit: et qui dimissam a viro dicit, adulterat”.³⁷² At incivile esset deducere ex hoc textu theologico praxim canonicam, quae vix a ceterorum Byzantinorum iurisprudentia distinguebatur; Joannes Comnenus eiusque successores in divortiis concedendis Novellam CXVII Iustiniani I imperatoris consulebant.³⁷³

Impedimentum professionis religiosae: transgressio diverse punitur, prout monachus aut monacha magnum vel parvum habitum induerit: „Similiter poena quindecim annorum definita est tanquam adulteris monachis et monachabus magni habitus. Viri enim et mulieres qui parvum habitum gestant, ut scorta habentur, hoc est, crimen ab iis aut cum iis commissum septem annis punitur.”³⁷⁴ Quae effectum poenalium differentia nullo modo distinctioni inter matrimonium illicitum (= cum microschema-tico) et irritum (= cum macroschematico) aequivalet. Inconcusse enim valet principium S. Basilii: „Fornicatio non est matrimonium, sed ne initium quidem matrimonii” (Can. XXVI). Idem dicendum de monacho, qui ad matrimonium properare nequit „tametsi in clero eum gradum nactus sit, in quo clericis matrimonium contrahere licet, qualem videlicet lectores et cantores obtinent. Alioquin ad vitam privatam redigatur”, i. e. ordine iam obtendo privabitur”.³⁷⁵

Impedimentum ordinis: Constitutionis XLIV tituli III libri I Codicis Iustinianei receptione clarius, imo peremptorie matrimonii post ordinationem contracti, nullitas exprimitur: „Si quis, cum presbyter sit aut diaconus aut hypodiaconus, vel palam vel clam vel sub aliquo praetextu uxorem aut concubinam introduxit, sacro ordine confessim exciditio et privatus atque plebeius esto. Liberi autem tanquam ex illicitis nuptiis nati neque naturales, neque nothi sunt et neque ex donatione, successione,

ficto debito aut aliorum obligatione quidquam percipiunt a patribus suis, sed neque matres ipsorum . . .”³⁷⁶

Impedimentum aetatis: Dum primae collectiones iuris ecclesiastici in Bulgariam introductae vacillabant quoad terminum a quo, Joannes Comnenus et probabilius omnes archiepiscopi Graeci inde a Leone normae iuris Byzantini civilis adhaeserunt, secundum quam aetatem minimam annum duodecimum superatum pro muliere et annum decimum quartum completum pro viro requirebant.³⁷⁷

Maxima innovatio introducta est in prohibitione *polygamiae successivae*. Joannes Comnenus recepit enim in suum nomocanoni famosam illam synodum unionis, iuxta quam secundarum quoque tertiarumque nuptiarum conditiones excusatione opus habent utpote christianorum moribus minus convenientes. Idcirco:

- a) „post quadragesimum vitae annum ad tertiam convolare nuptias nefas erit, ubi nati superstites priora connubia annuntiant;
- b) qui quadragesimum attigerit annum (quin liberos superstites habeat) et ad tertiam curret uxorem, eum per quinquiennium sacramentorum participatione privari iubemus;
- c) qui triginta annos natus post susceptos ex uxoribus liberos tertias inierit nuptias, per quattuor annos particeps ne esto mysteriorum;
- d) deficientibus autem liberis, tertias inire nuptias (ante quadragesimum annum superatum) nemini probrum, siquidem paternitatis iura exercere honestum ac reprehensione haud dignum.”³⁷⁸

³⁴⁹ Di iimus potius ante ipsum, quia Leo Achridanus (1025—56) practice iam schismaticus erat. Cf. ipsius epistolam in MG (120) 835—844; cf. etiam Sněgorov „История на Охридската архиепископия” Sofia (1924) I. 195—197.

³⁵⁰ Τὸ δὲ ἀγραφον ἔθος τῆς Ἐπικλησίας ὡς νόμον κρατεῖν ὁ τοῦ κόσμου φωστὴς δι μέγας θεοπίζει Βασίλειος εἰ γὰρ μακρὰ ἡ συνήθειά ἔστι καὶ ἐν συνοδικῷ δικαστηρίῳ κρατηθεῖσα ἐβεβαιώθη ὡς βεβαῖα κρατεῖ. Τὴν μὴ τοιαύτην δὲ ὄλοσχερῶς ἀποβάλλονται τὰ συνοδικᾶς γὰρ σκεπτόμενα καὶ διαγινωσκόμενα τῶν κατὰ μόνας γραμματευομένων κρείττονά εἰσι καὶ ἐπικρατέστερα“ editio Pitra (Battandier) VII col. 635—636.

- ³⁵¹ Quod liquet ex unoquoque responso archiepiscoporum Achridae, praesertim Demetrii Chomateni (cf. notam sequentem!)
- ³⁵² Pitra (Battandier) VII 631—632.
- ³⁵³ Pitra (Battandier) VII 11, 21, 28, 53, 59, 65, 77, 80, 87, 92, 102—103, 149 513, 515, 517, 549 et alia.
- ³⁵⁴ H. Gelzer „Der Patriarchat von Achrida“ (Geschichte und Urkunden) Leipzig 1902, 9—21.
- ³⁵⁵ Cf. Sněgarov o. c. I. 285—316; Zaïkyn o. c. 95.
- ³⁵⁶ Jacobi Bulgariae archiepiscopi opuscula nunc primum edita“ a cl. Sylvio Jos. Mercati in *Bessarione* — Grottaferrata (1917) pag. 73—89; 208—227.
- ³⁵⁷ Hoc clarum est praesertim ex iure haereditario: cf. praesertim apud Demetrium ed. Pitra (Battandier) VII, 142, 144, 172, 174, 178, 194, 295.
- ³⁵⁸ Pitra (Battandier) VII 713 n. CCVII; 515—516.
- ³⁵⁹ „Ἐρμηνεῖα εἰς τὸ κατὰ Μαθαῖον εὐαγγέλιον“ κεφ. ιθ' MG (123) 348—352.
- ³⁶⁰ Iterum apud Demetrium ed. Pitra (Battandier) VII. 34, 37, 56, 69, 70, 552.
- ³⁶¹ In locis alegatis utitur quidem voce „impedimentum“ semper sensu stricto. Cf. vero VII 517 sq.
- ³⁶² „ἔχομεν ἔσθος ἄνδρα λέγειν τῆς μυηστευθείσης καὶ μήπω γάμος προέβη“ o. c. MG (123) 153.
- ³⁶³ Cf. praesenti articuli numerum III—4.
- ³⁶⁴ Nam adhuc sub dominatione Ottomanna in archiviis huius eparchiae nomocanones medicaeves Slavonici reperiuntur. Cf. apud Канчевъ „Новонайдени охридски старини“ in SNU (1896) XIII. 260 sq.
- ³⁶⁵ Sněgarov I. 22—32; Gelzer 3—4 pag.
- ³⁶⁶ Cf. notam 349.
- ³⁶⁷ MG (126) 224—225.
- ³⁶⁸ V. N. Beneševič „Номоканонъ Йонна Комнина архиепископа Ахридскаго“ in виз. Временникъ Petrograd (1916) 41—61.
- ³⁶⁹ Manuscriptus Vaticanus Graecus No 2184 ff. 1059—1060.
- ³⁷⁰ Τὸ δὲ τῆς αἱμοιξίας, ὡς εἴρηται, πολύτροπον καὶ μυριο-πρόσωπον-εἶδος οὕτε ἐννοηθῆναι ἡσυγκριθῆναι παρὰ τοῖς πολλοῖς ἢ καὶ ἐγγράφως ὅσον καὶ οἷον ψάρχει ἀδύνατον συγκαταριθμηθῆναι“ f. 1062 editum apud J. Morinus „Commentarium historicum de sacramento poenitentiae“ Parisiis (1651) appendix pagina 102.
- ³⁷¹ Συντεκνίας δὲ ἢ ἀδελφοποιήσεις ποεῖν μοναχοὺς κεκαλυμένον ἔστι· καὶ ἐνταλματικᾶς τοῦτο τοῖς ἡγουμένοις ἢ τοῖς ἐξάρχοις τῶν μοναστηρίων ἡ Ἐκκλησία παρακελεύεται· οὐδὲ γὰρ ὁ νόμος δέχεται τὰς λεγομένας ἀδελφοποιήσεις διλατεῖ· Cl. Beneševič in sua manuscripti analysi hunc textum ineditum declarat; bis tamen iam editus est: MG (100) 1061—1064 et ΣV 399—401.
- ³⁷² πὰς ὁ ἀπολύων τὴν γυναικαν αὐτοῦ παρεκτὸς λόγου πορνείας δηλαδὴ καὶ γαμῶν ἐτέραν: μοιχεύει MG (123) 972.
- ³⁷³ Ita in Nomocanone XIII cap. 3 qui in ms Vatic. ff. 129—662; editus a cl. Cardinale Mai MG (104) 441—976, qui erronee ipsum habuit pro Nomocanone Photii.

³⁷⁴ τὸ δὲ τῆς μοιχείας [άμαρτημα] . . . ἔτη οὐδὲ δμοίως καὶ τῶν μεγαλοσχήμων μοναχῶν καὶ τῶν μοναστρῶν τῶν γὰρ μικροσχήμων ἀνδρῶντε καὶ γυναικῶν ὡς πορνεία λέγεται τουτέστιν ἐν ἐπτὰ ἔτεσι" editio Morinus pag. 107—108.

³⁷⁵ Nomoc. IX. cap. 29 ex const XIII. tituli primi Novellarum (ed. MG [104] 784).

³⁷⁶ I. c.

³⁷⁷ Quae norma ex epithymiis deducitur. Ita sub tituli: περὶ πατροφθορίας: legimus: Τῆς δέ πατροφθορίας τὸ ἔγκλημα ἐκεῖνό ἐστι καὶ λέγεται τὸ κορίω παρθένον νεᾶνιν πρὸ τῆς ἥβης ἥγουν πρὸ τῶν δώδεκα χρόνων διαφθαρῆναι" ff. ms. l. c. ed. Morinus appendix pag. 106.

³⁷⁸ Cf. Nomoc. XIII cap. 2 ed. MG (104) 896: Leges illae in tomo unionis optime omnibus noto anno 920 celebrato latae sunt.

DOCUMENTA DE THEOLOGIS CONCILII FLORENTINI.

G. Hofmann, S. J.

I.

De Johanne de Montenigro O. P.

De Johanne Montenigro (Montenero), provinciali Lombardiae Ordinis Praedicatorum, cive Januensi, recentissime tractatum est. Dr. Michael Mincuzzi dissertationem¹ elaboravit, cui est titulus: *Giovanni da Montenero O. P. al Concilio di Ferrara—Firenze*. Hic auctor theologiam Dominicanorum celeberrimi exposuit. G. Meersseman O. P. tractatum Johannis de Montenigro in concilio Basiliensi contra impugnantes privilegia fratrum Mendicantium compositum edidit aliaque pauca documenta historica adiecit in libro: *Giovanni di Montenero O. P. difensore dei Mendicanti*,² in introductione pugnam contra Mendicantes in concilio Basiliensi habitam defensionemque ac victoriam Mendicantium descripts et doctrinam de Ecclesia a theologo O. P. in scriptis et in sermonibus coram concilio Basiliensi et Florentino declaratam illustravit. Quid provincialis

¹ Università Gregoriana, Roma 1938; haec thesis nondum typis mandata est.

² *Dissertationes historicae. X. Institutum Historicum FF. Praedicatorum Romae ad S. Sabinae* 1938.

Lombardiae in sessionibus concilii Florentini ad unionem Graecorum praeparandam egerit, ab auctore huius articuli narratum¹ est. Nunc aliqua documenta in lucem prima vice edam, quae actionem eius pro unione Graecorum et Armenorum² et chronologiam commemorationis eius in Concilio Florentino respiciunt.

Documentum I.

De Disputationibus cum Graecis.

Johannes de Montenigro die 1. maii 1439 Thomae de Campofregoso duci reipublicae Januensis epistolam scripsit proh dolor nondum inventam, in qua de statu actuali quaestionis unionis ecclesiarum rettulit. Dux Januensis in responso,³ theologum Concilii Florentini laudat eumque hortatur, ut labores suos usquehuc pro unione Graecorum assidue et strenue impensos etiam in posterum sustinere perget. En textus responsi.

Reverendo in Christo patri fratri Johanni de Montenigro ordinis praedicatorum provinciali Lombardiae dignissimo apud Florentiam.

Pergratum nobis est, reverende in Christo pater, quod omnia cognitione nostra digna haud mediocri diligentia ad nos perscribitis, in quo profecto et virtutes et studium in nos vestrum, vero sine laude vestra, declarantur.

Quo enim vos scimus Graecorum disputationibus occupatiorem esse et eiusmodi studiis incumbentem nocti diem iungere, eo plurius facimus, quod ex hoc tempore, quod ad necessaria vix quidem sufficit, portiunculam demitis, ut voluntati nostrae obsequamini.

Nam quantum litteris vestris prima maii die datis coniecturam facimus nihil omissum est, quod digne scribi debuerit.

Quod reliquum est, vos adhortamur, ut in incepto perseveretis et, quemadmodum hactenus non cura, non studio, non labore defuistis, ita nec deinceps laboris vestri vos tedeat.

Data XII. maii [1439].

Thomas dux etc.

¹ *Orientalia Christiana Periodica* 3 (1937), 4 (1938).

² De unione Armenorum in concilio Florentino articulus in proximo numero *Orientalia Christiana Periodica* tractabit.

³ Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1299, 424^r.

Documentum II.

De concordia cum Graecis iam habita.

Theologus Johannes die 30. iunii 1439 duci Januensi nuntiare poterat unionem Graecorum iam esse sicuram. Qua notitia felici accepta Thomas dux die 13. iulii ei laetabundus respondit.¹ Sicut in responso dicit, iam prius de unione Graecorum sollicitus erat; ex litteris Johannis de Montenigro certior fieri volebat de singulis vicissitudinibus huius quaestzionis in concilio Florentino. Nunc vero de schismate superato gaudebat et de successu Eugenii IV. Papae. Documentum mox edendum est simul signum animi nobilis ducis Januensis de unione ecclesiarum bene meriti.

Reverendo in Christo patri domino magistro Johanni de Montenigro provinciali praedicatorii ordinis Lombardiae.

Etsi litterae vestrae omni nobis tempore gratae ac suaves sunt, tanto tamen cupidius legimus eas, quas octavo nonas iulias ad nos dedistis, quanto interest inter spem et speratae rei consecutionem.

Ceteris enim litteris vestris expetebamus audire, quid spei superesset in unione Graecorum, quos progressus, quas difficultates vel rursus remedia haec materia peperisset.

His autem litteris non modo rem extra pericula positam, sed absolutam consolidatamque prorsus cognovimus.

Agendae igitur illi gratiae, cuius mirabili providentia incomprehensibilique misericordia vetus ac perniciosum scisma fecundissima errorum materia, sublatum est!

Nos quoque tanti boni adeptione maiorem in modum gaudemus, augetur merito nobis laetitia, quod tam egregium ac memorabile facinus saeculo nostro contigit.

Nec illud nos mediocriter movet, quod sanctissimi domini nostri Papae, cui quantum afficiamur vos quidem conscius estis, studio ac labore divini templi scis[s]ura clausa est, quod iure optimo ingentes illi laudes et immortalitatem nomini suo comparabit.

Reliquum est, ut vos tantis iam laboribus exhaustis ad otium in patriam redeatis.

Data XIII. iulii [1439].

Thomas dux etc.

¹ Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1423, 510².

Documentum III.

De adventu legatorum Armenorum Januam et eorum itinere Florentiam.

Versus finem iulii 1439 Serkis (Sarchis), Vicarius Caphae (Feodosia in Crimen) et Thomas, delegati Constantini V. patriarchae Armenorum, Januam advenerunt, ut ad Concilium Florentinum properarent. Gubernium reipublicae Januensis, quod iam antea de unione Armenorum Caffac et Perae (Galata iuxta Stambul) ad dominationem Januensium pertinentium studium zelumque habuerat delegationem armenam magnis hononoribus recepit, eamque enixe Eugenio IV. Papae commendavit¹ die 3. augusti.

Johanni de Montenigro munus commisit,² ut negotiis Armenorum omni modo faveret, immo legatos armenos dirigeret. Textus epistolae ducis Januensis est hic.

Reverendo patri magistro Joanni de Montenigro ordinis praedicatorum provinciali Lombardiae dignissimo.

Nunciavimus vobis, reverende pater, Armenae legationis adventum, utque statueramus eius curam vobis omnino delegare.

Nunc igitur illam hinc expedivimus et Florentiam emittimus consilio vestro regendam.

Arbitrium⁴ legatis ipsis attributum et pauculas litteras ad hanc materiam pertinentes his litteris annexas vobis mittimus, ut sanctissimus dominus noster haec videat.

Deinde litterae arbitrii legatis reddantur; si quid residui fuerit, vos retineatis.

¹ In hac epistola legimus: „Legationem igitur ipsam nunc emitto Florentiam, eiusque curam ac directionem reverendo magistro Joanni de Montenigro ut rerum experto et Sanctitatis vestrae notissimo delegavi“, Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1456, 526.^v

² Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1457, 527.^r

³ Die 1. decembris 1438. Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 986, 332^v — 333.^r

⁴ Hac voce designatur epistola, qua patriarcha Constantinus V. facultatem suis legatis dedit, „ut eant ad synodum . . . Modo etiam quidquid Spiritus S. illustraverit sanctam synodum, prompti sumus ei obedire.“ Cf. Hofmann, *De unione Armenorum, in Textus et Documenta, series theologica*, n. 19. (Romae 1935) 13 — 14,

Maxime autem vos apud Romanum Pontificem instare cupimus, ut hi comiter honorificeque habeantur.

Nam legatio haec potissimum missa est instante et annitente consule nostro Caphae; qui autem missi sunt cives Caphenses sunt, quam urbem omnes Armeni ut caput praecipuamque sedem suam venerantur. Percipit ex ea partem maximam suorum reddituum patriarcha, et cum Armenus populus, qui Capham incolit, mittendae legationi assensum praebuit et patriarcha et populi reliqui in eam sententiam transiverunt.

Hi a nobis interrogati, quonam consilio res suas acturi sint, responderunt, in sinum nostrum se missos esse et consilio nostro staturos. Ex quibus certi reddimur, quod, sive se honorifice comiterque exceptos sive secus arbitrentur id nobis et huic rei publicae ascripturi sint.

Quae ratio movet¹ nos, prudentiam ac diligentiam vestram studiosius monere, ut apud Pontificem Maximum contendatis, ne quid debiti honoris ac humanitatis deesse illis patiatur.

In reliquis vero negotiis eorum este illis pater et rector.

Data die III. augusti 1439.

Thomas dux etc.

Documentum IV.

De unione Armenorum iam promulgata.

Unione Armenorum die 22. novembris 1439 in concilio Florentino promulgata Johannes de Montenigro epistolam et decretum unionis duci Januensi misit. Die 3. decembris hic responsum² ei dedit. Laudes insignes theologo tribuit eumque „inter huius aedificii (scilicet unionis Graecorum et Armenorum) architectos in primis nominari“ affirmat. Alias litteras adhuc desiderat, in quibus exponatur, quid dux Januensis pro unione Armenorum exsequenda praestare adhuc debeat. Epistola ducis Januensis, diei 3. dec. 1439, est haec:

Magistro Johanni de Montenigro.

Accepimus hodie, reverende pater, litteras vestras et decretum Armeniae unionis testimonium faciens. Nec mediocrem nobis pe-

¹ monet Ms.

² Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1750, 636. v

perit tam egregium facinus voluptatem, et quod Deus christianum populum misericordi oculo respicere videtur, et quod sanctissimo domino nostro ad cumulum meritorum et gloriae accedit, duos quondam celeberrimos populos Graecum et Armenium sublatis erroribus in veritatis lucem revocasse.

Auget etiam laetitiam nostram, quod videmus vigiliarum laborumque vestrorum exitum faustum felicemque fuisse, vosque inter huius aedificii architectos in primis nominari.

Reliqua, quae pro consum[m]atione materiae vel facienda erunt a nobis vel praestanda, iuvabit litteris vestris cognoscere.

Reverendissimus dominus archiepiscopus iam decreti copiam acceperat; domino generali vestro, ut scribitis, in conventu[m] illud perferri iubebimus.

Data III. decembris [1439].

Thomas dux etc.

Documentum V.

*De festivitatibus publicis in republica Januensi propter unionem
Armenorum feliciter peractam.*

Auctoritas civilis Januensis exhortationibus Papae obsequens die 10. decembris 1439 decretum¹ sequens edidit, quo solemnes processiones in gratiarum actionem pro unione Armenorum in districtu Januensi habendae iubentur.

Thomas dux etc. et consilium etc.

Cum acceperimus nuper ab sanctissimo domino nostro Papa litteras, quarum copiam inferius describi iussimus, quibus adhortatur, ut pro Armenorum populorum unione nuper feliciter consum[m]ata in laudem omnipotentis Dei faciamus et fieri edicamus solemnes processiones, quales pro tanto Dei beneficio maiestati suae reddere aequum est,

harum litterarum auctoritate iubemus vicariis ac rectoribus cunctis in Januensi districtu constitutis, reliquos obnixius adhortantes ut ob eam causam solemnes processiones edicant, reddentes Deo

¹ Archivio di Stato, Genova Litter. reg. 8, n. 1759, 640.^v

dignas laudes, quod misertus nostri non cessat misericordiae suae superabundantiam nobis infundere,

quibus quidem processionibus, ut populi cupidius intersint, largitur Pontifex Maximus indulgentias in ipsis litteris declaratas.

Data X. decembris [1439].

Documentum VI.

De reditu legatorum Armenorum.

De decreto supradicto Thomas de Camprofregoso etiam Joannem de Montenigro die 12. decembris certiores fecit¹ et ab eo petitivit, ut reditum legationis armenae mox faciendum procuraret. Simul cum eo communicavit notitiam iam necessaria pro itinere honorifico legationis Armenae Pisam Januamque praeparata esse.

Magistro Johanni de Montenigro.

Acceptis apostolicis litteris, reverende pater, supplications et in urbe et in agro ediximus, quibus populus totus intersit, nosque cum toto senatu pompa intererimus, ne quid celebritatis desit.

Accedentes etiam consilio vestro Florentia(m) mittimus Dominicum ex ostiariis² nostris virum, qui legatos Armenos Pisas ducat. Ibi enim lembus aderit a nobis transmissus, qui ipsos Januam deportabit.

Curae post haec erit nobis, ut hic et in navi magnis honoribus excolantur.

Quod a vobis nunc petimus, hoc est, ut quam primum hae litterae vobis redditae fuerint, vos summa vi contendatis, ut dimittantur nec illic ultra remorentrur.

Et lembus in Arno et navis³ in portu nihil praeter adventum suum praestolabuntur; quae⁴ quidem sine querela et incommodo retineri non posset.

Enitimi igitur, ut ocius illinc emittantur.

Data ut supra (12. decembris 1439).

Thomas dux etc.

¹ Archivio di Stato Genova. Litter. reg. 8, n. 1768, 646.^r

² hostiariis *Ms.*

³ Navis Lomellina, pro Oriente destinata.

⁴ Scilicet navis Lomellina.

*Quanto tempore Johannes de Montenigro in Concilio
Florentino permanserit.*

Concilium Florentinum a die 8. ianuarii 1438 usque circiter ad diem 7. augusti 1445 perdurasse notum est. Iam ab initio Johannes O. P. concilio supradicto interfuit. Eugenius IV. Papa eum Brevi¹ particulari die 18. octobris 1437 ad concilium convocaverat. Praecepto Summi Pontificis obediens iam in prima sessione concilii Ferrariae habitae die 8. ianuarii 1438 adfuit. Dum in hac urbe et post decretum translationis concilii die 10. ianuarii 1439 promulgatum in civitate Florentiae de unione Graecorum agebatur, continue vires suas operi conciliari impendit. Etiam, sicut iam audivimus, in unione Armenorum praeparanda per circiter duos et dimidium menses partem non exiguum habuit.

Post unionem Armenorum die 22. novembris 1439 promulgatam non rediit subito in provinciam suam. Certo decembri 1439 adhuc Florentiae adfuit, sicut ex documentis supra allatis scimus.

Camera Apostolica ei adhuc annis 1440 et 1441 pensionem solvit.² Sed ex hoc facto non potest probari eum adhuc Florentiae permanisse, dum remuneratio pecuniaria theologi insigni Concilii dabatur. Ex nota Camerae Apostolicae, die 27. maii 1441 data,³ commoratio Johannis de Montenigro in urbe Januae redditur certa: „totidem (50 florenis) per eos solutis Januae—venerabili viro domino Johanni de Montenigro pro sua subventione.

Sed ex aliis notis adhuc ineditis absentia Provincialis Lombardiae a Concilio Florentino iam anno 1440 constat. Ita habetur sub die 27. novembris 1440 mandatum⁴ Camerae Apostolicae: „florenis auri de camera quinquaginta pro totidem per ipsum (Cosmam de Medicis) solutis in Janua venerabili viro magistro Johanni de Montenigro ordinis fratrum Praedicatorum pro sua subventione sine aliqua retentione.“

Cum alia nota, die 2. ianuarii 1440 data, eodem modo pensionem

¹ Documentum editum a Cecconi in libro *Studi storici sul Concilio di Firenze* (Firenze 1869), n. 166, pag. 443—444.

² Meersseman 163-164.

³ Meersseman 164.

⁴ Archivio di Stato, Roma. Mandata (1439-43), 59.^r

Johannis de Montenigro exhibeat, ac notae e. gr. diei 3. novembris et 1. decembris 1439, concludi potest theologum adhuc mense ianuarii 1440 Florentiae adfuisse. His vicibus¹ formula pensionis est haec: „pro se (Johanne) et duorum sociorum subventione . . . 8 florenos.“

Mutata est vero formula² mense februarii die 9. 1440. Johannes vocatur „venerabilis“ et pensionem accipit 50 florenorum, sicut in nota die 27. novembris 1440 data, supra allata. Dum autem in hac mentio Januae fit, in priore nota urbs illa nondum nominatur. Forsitan concludere licet Johannem de Montenigro mense februarii 1440 Florentia abiisse, ut Januam rediret.

Causae, propter quas Johannes de Montenigro Concilium Florentinum anno 1440 reliquit, sunt ponendae in desiderio explicito ducis Thomae de Campofregoso et in salute laboribus debilitata immensis per octo fere annos in concilio Basiliensi et Florentino exantlatis Dux Januensis de hac re ad Eugenium IV Papam petitionem³ direxit die 29. decembris 1439. His precibus Summus Pontifex benigne annuit et in remunerationem theologo concilii paeclaro etiam postea, forsitan usque ad huius mortem, pensionem ex Camera Apostolica solvi iussit.

Ambrosius Traversari quondam, anno 1434, Papae Eugenio suaserat,⁴ ut theologos dominicanos Johannem de Torquemada et Johannem de Montenigro ad concilium Florentinum advocaret. Jam duobus annis ante (1435) eidem Summo Pontifici scripserat:⁵ „Joannes itidem de Monte Nigro et Joannes de Turrecremata (= Torquemada) ambo theologi, duo invicta propugnacula insipientibus conatibus (in concilio Basiliensi) obiecta magna usi constantia sunt.“ Consilium Ambrosii Traversari optimos fructus protulit in Concilio Florentino.

¹ Archivio di Stato, Roma. Mandata (1439-43), 3.^r 6.^v 12.^v

² Archivio di Stato, Roma. Mandata (1439-43), 20.^r

³ Archivio di Stato, Genova. Litter. reg. 8, n. 1797, 656.^r

⁴ Cf. epistolam eius, die 6. septembris 1437 scriptam, apud **Cecconi**, *Studi storici sul Concilio di Firenze*, n. 155, pag. 404.

⁵ **Cecconi** pag. 148 (introductio).

VARIA

DIES PRO ORIENTE CHRISTIANO

praescriptus a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus, celebrabatur Olomucii die 19. Februarii 1939. Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio una cum Apostolatu ss. Cyrilli et Methodii diem celebrandum praeparaverunt et optimo cum successu direxerunt.

Die 19. Februarii hora nona s. Liturgia in ritu graeco-slavico celebrabatur a Excelmo Domino Apostolico Administratore Dionysio Njaradi, concelebrantibus RR. PP. Kaly nec O.S.B.M. et P. Rešetylo O.S.B.M. in ecclesia B. Mariae ad Nives, quondam ad universitatem Olomucensem pertinenti. Concursus christifidelium ad sacra solemnia erat maximus, devotio exemplaris. Cantus liturgicos exsequebantur alumni seminarii archiepiscopalis Olomucensis necnon seminarii ritus graecoslavici, quod seminarium ad tempus Olomucium est translatum. Cantus accurate omnino emittebat statio radiophonica Brunensis.

Pomeridie hora 15. solemnis academia iterum congregavit omnes clericos utriusque ritus, quam plurimos scholarum discipulos necnon quam numerosissimam gentem Olomucensem in aula municipiali.

Academia inchoata est cantu clericorum: Sanctus, sanctus, sanctus e liturgia s. Joannis Chrysostomiet prologo decanifacultatis theologicae a ss. Cyrillo et Methodio, dris Josephi Matocha. Salutatis omnibus praesentibus praeprimis delegato Excelmi archiepiscopi Olomucensis msgre Fr. Jemelka, canonico et gen. secretario Apostolatus ss. C. et M., Excelmo Apostolico Administratore msgre Dionysio Njaradi, collegio professorum dictae facultatis et aliis eximiis hospitibus, decanus facultatis indicavit praecipuum finem dicti Diei pro Oriente christiano. Dies ille introductus est in omnibus facultibus theologicis et seminariis in universo orbe catholico de mandato expresso Beatissimi Patris Pii XI, cuius cor ardebat amore erga infelices fratres Orientis separati. Dies pro Oriente christiano debet esse dies orationum, bonorum operum ad intentionem Summi Pontificis — nunc iam beatae memoriae. Diem pro Oriente chris-

tiano celebrantes sumus quasi filii immenso oceano a patre separati, qui sensus ac signa intimae gratitudinis litteris mandantes dolore opprimuntur, quia paternam benedictionem a manu patris non sunt iam hac in terra recepturi. — In sequentibus delineavit orator magnum opus Summi Pontificis Pii XI.

Deinde de jubilaeo sti Vladimiri msgre Fr. Jemelka locutus est.

Susceptione fidei christiana in historia cuiusvis nationis nova quaedam epocha internae ejus sicut et externae vitae inchoatur. In Rossia Kijevensi hoc magnum factum historicum cum nomine sti principis Vladimiri (978-1015) conjungitur, etsi jam prioribus temporibus non defuerant varii conatus christiana fidei in Rossia disseminandae. Primordia fidei christiana fidei in Rossia, prouti hoc fit et in aliis nationibus, fabulis exornantur, quae lucem historiae criticae haud sustinent, quasque posterioribus saeculis exageratus amor patriae progenuit nec non hic illic et umbra traditionis hucusque tegit. Verosimillime baptizavit Kijevensem principem Vladimirum sacerdos quidam latinus e Varjagorum stirpe oriundus circa annum 987, prouti hoc innuunt testimonia Jacobi monachi, Hilarionis metropolitae et Nestorii monachi e saeculo XI. provenientia et a „sagis“ scandinavicis (legendis antiquissimis) comprobata.

Propagatio fidei christiana in Rossia Kijevensi a graecorum quidem hierarchia et clero continuabatur, attamen liturgia *veteroslavica* inde ab initio ubique est introducta et nutrita ex uberrimo litterae ecclesiasticae veteroslavicae fonte in Bulgaria scaturiente, quae hanc sanctam haereditatem a Slavorum apostolis receptam fideliter custodiebat.

Verum tamen etsi stus Vladimirus cum Ecclesia Byzantina eo tempore nondum separata intimiori modo suam Rossiam conjunxit, connexiones cum Ecclesia Occidentali, immo et cum Roma ipsa, ulterius fovebat.

Omni ergo iure 950. anniversarium, ex quo Rossia Kijevensis christiana est facta, tum ab orthodoxis Russis, tum ab graeco-catholicis Ucrainis tamquam *annus sti Vladimiri jubilaris* celebratur, cum utraque Ecclesia originem suam dicit a christianis principiis Rossiae Kijevensis, ubi nunc temporis atheismus bolševisticus pugna atrocissima fidem sti Vladimiri ejusque totius gentis impetit atque radicitus evellere non desinit.

Hierarchia *graeco-catholica* in Galicia exeunte jam anno 1937 (23. decembris) memoriam hujus jubilaei celebrare decrevit in conferentiis *Leopoli* habitis. Mox idem fecit et *orthodoxa* hierarchia in Polonia. Et ubicunque terrarum degit — et in dispersione gentium — christiana proles primi principis Rossiae baptizatae — annus sti Vladimiri jubilaris modo, quo par est haec sacra commemoratio — mox praeparabatur manifestationibusque religiosis, nationalibus et cultura innixis prouti et publicationibus litterariis celerabatur — excepta solummodo ipsa sti Vladimiri patria — hodierna Rossia sovietica, ubi fides christiana in catacumbas est detrusa.

Evenit quidem in aliquibus locis, ut hac occasione et veteres contentiones inter catholicos et orthodoxos Slavos reviviscerent, attamen renovatis vitae religiosae et communis fidei christianaे radicis recordatio ad morem fraternum provocans — hi fructus anni jubilaris haud deerunt in hodierna familia spirituali sti Vladimiri.

In synodo ecclesiae orthodoxae Russorum emigrantum mense Augusto 1938 in Srëmski Karlovci (in Jugoslavia) celebrata referente aeppo Nestorio decretum est, ut nova *Fraternitas religiosa sub nomine sti Vladimiri conderetur*, quae viam christianaе regenerationis futurae Rossiae praepararet. Discussio synodi decretum antecedens quandam formam Catholicae actionis a † SS. Pio XI. studiosissime propagatae orthodoxae fraternitati a sto Vladimiro tribuere ejusque finem intendere videbatur, nisi haec similitudo politica russicae emigrationis actione auferetur.

Quae autem *pastorales graeco-catholicorum Galiciae episcoporum litterae* de jubilaeo sti Vladimiri continebant, programma optimum totius anni jubilaris constituere videntur. Orbi christiano nondum diviso, cuius caput Romanus Pontifex agnoscebatur, stus Vladimirus Rossiam s. baptismate adjunxit. Sed prouti in ejus familia discordiae ac rixae necem Storum Boris et Glëbii causarant, hanc discordiarum crucem, gravissimam populus Russicus per tot saecula ferre non cessavit usque nunc. Utinam per crucem ad lucem ! Annus sti Vladimiri jubilaris occasionem praebet, ut in ejus celebratione omnes fratres fidem primi Russorum principis profitentes coadunentur, veritatem historicam melius cognoscere studeant, omnem discordiam vitent, pro oppressis fratribus orient, exempla clarissimorum virorum ex. gr., metropolitee Isidori, sti martyris Josaphat, metropolitae

Rutskij omniumque martyrum, qui terram patriam sanguinis effusione sanctificaverunt, sequantur. Spiritus sti Vladimiri ut et Rossiam Moscovensem et Ucrainam atheismo bolševistico depopulatam Christo Domino restituat, haec sancta desideria corda omnium nostrum adimpleat, prouti hoc Excelmus ac Revmus Praeses ACM, AEppus olomucensis *Leopoldus Prečan* in suo „interview“ russico redactori D. L. *Magerovskij* adaperuit, cum Velehradium nostrum luce communis omnium Slavorum amoris erga ss. Cyrillum et Methodium illustrare conatus est. — Ad finem academie

DE ANNIVERSARIO CONCILII FLORENTINI

eiisque momento cl. prof. Dr. Fr. *Cinek* profunde loquens historiam concilii Florentini delineavit simulque fuse perlustravit, quid eventus docuerant. Scissio Ecclesiae neque principaliter et exclusive ob controversias doctrinales, neque unice (licet magna ex parte ita factum est) ob rerum politicarum studium inventa est.

In concilio Florentino praecipue et ardentissime doctrina de „Filioque“ pertractabatur. Sed perlustrata hac quaestione apparuit, doctrinam de processione Spiritus Sancti etiam ex Filio apprime congruam esse cum fide orthodoxa orientali. Graeci separati impugnantes nomine fidei orthodoxae doctrinam hanc, revera ipsam orthodoxiam, quam summa vi defendere nitebantur, impugnabant.

Idem ostenderunt disputationes de primatu. Vivis adhuc s. XI. in Oriene primatus traditionibus primatus formaliter non impugnabatur. Dogmaticis itaque criminacionibus de processione Spiritus Sancti schisma superstructum est. Post scissionem demum factam atque ecclesiae orientalis in separatas ecclesias autocephalas divisionem, traditionibus de Ecclesiae constitutione et primatu interruptis, theologi orientales, ducti rationibus apologeticis et polemicis, conditionem ecclesiae orientalis defendantes, ad sententias confuderunt, doctrinae septem concilionrum oecumenicorum et fundamentis genuinae doctrinae orientalis de Ecclesiae *contrarias*, affirmantes, veram schismatis causam in doctrina Occidentis de primatu fuisse. Sed perperam.

Scissionem praeparavit genuitque tota series causarum intime

cum moribus et vitae institutis animorumque cultura iunctorum, insuper series mutuarum contentionum in rebus nationalibus aequa ac nimium domesticarum rerum studium seu *angustus ille mentium particularismus*, cui forte potior pars culpae tribuenda est. Universalis harum causarum indoles expansionem schismatis in totum Orientem eiusque vim et efficaciam declaravit, simulque nos edocet gravissimum opus esse renovandae unionis tanta mole praeiudiciorum et aversionum obrutae, quam saecula integra coacervarunt. Simulque rerum eventus in concilio Florentino docuerunt unionem ecclesiarum rationibus caducis, quibus pars graeca in ipsa ineunda, magna ex parte movebatur, minime superstitem esse posse (Neque mirandum nobis est conscientias fidelium a methodo subordinandi res religiosas politicis abhorruisse).

Restitutio unitatis in concilio Florentino limes videbatur praeclara in historia Ecclesiae. Sed brevi tempore omnia delecta sunt. Vulnus scissionis denuo apertum est et hucusque hiat.

At manibus humanis id factum est. Ecclesiae scissio etsi permittente Deo facta et post Florentinum renovata est, cum voluntate divina minime concordat. Constans Dei voluntas est, ut unum sit ovile et unus pastor. Quapropter et fas est et *debitum* omnia movere, ut exitiosa illa vorago, gregem Christi sciendens, obruatur.

Hodiernis temporibus, sicut ante 500 annos, aequalem finem, aequale programma, aequalem spem habemus. Impedimenta quidem multiplicata sunt, sed etiam momentum actionis unionisticae temporis praesentis crevit. Renovatio enim unionis procul dubio ad urgentissima negotia nostrae aetatis pertinet. Quod etiam nonnulli ex laicis, apud nos, qui antea adversarii ecclesiae erant, libenter fatentur per pulchre de unione ecclesiae eiusque momento loquentes:

„Sans l'union rétablie la culture chrétienne ne reviendra pas de sa défaillance et son esprit ne se renouvellera pas dans la société européenne et mondiale. De même que le Christ est un, ainsi l'Église est une. Ce n'est que par le rétablissement de l'union que l'idéal chrétien gagnera des forces nouvelles pour des victoires nouvelles.“ (Prof. Univ. Dr. J. Stránský „Lidové noviny“ v březnu 1939.)

„De nos jours, l'Église catholique appartient parmi les forces de la liberté d'esprit. C'est avec respect que l'homme érudit et aimant la liberté lit les manifestes du pape romain. Le monde est brisé par l'action des nationalismes extrêmes. Dans le monde de désorganisation d'esprits et de décadence, l'universalisme de l'Église catholique a une mission très importante. N'empêchons l'action de cette fraternité universelle basée sur le fondement de la conception chrétienne du monde. Après bien des années de luttes contre l'Église je suis arrivé à cette persuasion que j'avoue ici librement: „Dans la situation tragique de notre nation l'Église catholique conserve, chez nous, sa grande mission.“ (R. Bechyně, „Přítomnost“ č. 8, 1939.)

Munera, quae situatio hodierna imponit, ingentia, atque maxime responsabilia sunt. Facie ad faciem impetum adversariorum Christi spectantes scissionem christianorum tamquam vulnus atrocissimum percipimus. Ante 500 annos Islam christianismo imminebat. Quam multo maius periculum nobis hodiernis temporibus imminet! Quo vehementiorem impetum potestas inferni in nos facit, eo urgentior necessitas et gravius officium unionis renovandae christianis incubit.

Unicum fundamentum ex voluntate Christi inconquassatum unitatis et catholicitatis est sedes Petri. Magna quidem impedimenta non ignoramus, sed opportet orare et ad tollendum schisma maximos atque indefessos labores impendere.

Hoc autem maxime est inculcandum: Ad tollendum lamentabile discidium media mere humana omnino esse imparia.

Ergo ad media supernaturalia, praeparimis ad orationem, cui (dummodo fidem invictam habet sociam) omnipotentia quaedam inest, recurrere necesse est. Instauratio enim pacis et concordiae inter Orientem separatum et Ecclesiam catholicam est opus prorsus supernaturale, in quo exsequendo in vanum desudabimus, si Deus cooperator non exstiterit.

Preces effundere pro instauranda unione est actus perfectissimus caritatis ergo Deum. Est autem etiam actus dilectionis erga proximum, et revera tanto excellentior, quanto maiora sunt bona quae fratribus dissitis postulamus.

ACTIVITAS ORDINIS S. DOMINICI IN TERRIS S. VENCESLAI AB ANNO 1919

Provincia ordinis S. Dominici, dicta Bohemiae, anno 1301 canonicę instituta est, postquam sufficiens numerus Conventuum existebat, quorum fundatio inchoata fuit per S. Hyacinthum et B. Ceslaum. Imperator Carolus IV. anno 1348 in novam fundationem universitatis Pragensis primos profesores ex ordine S. Dominici vocavit. Fundata Provincia Bohemiae a Sanctis, qui Orientem vicinum perspectumque habebant, qui unioni cum Ecclesia Occidentalı adlaborabant, memor etiam traditionis ab initio Ordinis S. Dominici in eodem seculo custodiae et effectui mandatae de laboribus unionisticis, decursu temporum numquam huius traditionis oblita inventa est. Diversis procellis decursu temporum agitata et anno 1095 in propriam subsistentiam restituta, semper memor fuit pro viribus vocationis divinae Providentiae. Tandem, sufficientem numerum habens alumnorum, praesertim in universitatibus Romae et alibi educatorum, activitatem evolvere coepit secundum suas traditiones. Primum, quod omnibus visum est necessarium, labor erat in reducendis ad Christianam vitam hominibus litteratis. Ideo anno Domini 1926 fundata est *ephemeris „Na hľubinu“*, cuius titulus ad illud verbum Domini provocat, *Duc in altum*. Hoc primum majus opus prodiiit ex Conventu Studii Provinciae Olomucii, postquam jam in prioribus annis per variam minorem activitatem litterariam Fratres ad hoc opus se praeparaverant. Non obstantibus difficultatibus ista mensis publicatio semper meliores collaboratores, etiam inter catholicos laicos invenit. Perlustranti nunc 13 annos hujus ephemeridis manifestum est, quomodo sistematice homines litterati perducebantur non solum ad cognitionem thesauri spiritualitatis catholicae, verum etiam ad catholice dijudicandas quaestiones, religiosas, quae tunc temporis orbem christianum movebant. Ad quem finem melius assequendum addebatur continuus conspectus librorum et ephemeridum pro tempore prodeuntibus, tum catholiconrum, tum acatholicorum, cum brevi relatione de objecto et valore libri.

Simul *Editionem „Krystal“* dictam Patres Ordinis S. Dominici

fundaverunt, ut sat urgenti necessitati occurrerent, librorum sc. in lingua vernacula de catholica spiritualitate, tum versiones, tum genuinos libros proprios imprimentes. Inter quos libros speciali mentione digna est sic dicta Dogmatica laicorum, auctore P. Dr. Reginaldo Dacík, et Moralis laicorum, sc. regulae theologiae moralis pro diversis statibus hominum. Nec oblivioni data est quaestio Orientis christiani, qui ab anno 1919 a Patribus Provinciae Bohemiae publicati sunt in diversis ephemeridibus quasi per aliquot millia numerari possunt ad hanc diem.

Specialissimum autem opus Studii Olomucensis est *versio Summae Theologicae S. Thomae* in linquam bohemiam. Quae quidem versio hoc speciale habet, quod est versio verbalis, atten-dens ad hoc, ut textus originalis ita reddatur, ut non sit paraphrasis textus originalis, sed de verbo ad verbum, et totidem tan-tum verbis, sicut textus originalis. Successus hujus versionis demonstravit non solum excellentem dotem linquae bohemicae, sed etiam versionis talis solidam intelligibilitatem; habet enim versio ista plus quam duo millia praenumerantium — in gente satis parva.

Altera urgens necessitas existebat in materia philosophica, quae quasi dominium erat Positivismi. Ideo Studium Olomucense novam ephemeridem fundavit, *Filosofická Revue* dictam. Mens hujus ephemeridis non est, mera doctrinae scholasticae S. Thoma Aquinitatis quasi repristinatio, sed ejusdem doctrinae comparatio cum veris conclusionibus scientiarum modernarum, quod opus praesertim RNDr. Artur Pavelka prosequitur, cui propterea jam aditus ad forum internationale apertus est. Insuper continua-
natur conspectus et dijudicatio librorum et doctrinarum praesentium dierum in scientiis philosophicis.

Ad opus hoc magis extendendum institutae sunt sic dictae „*Hebdomades academicæ*“, in quibus jam a quinque annis Pra-gae quaestiones philosophicae et theologicae intimius scrutantur tum a professoribus Studii Olomucensis, tum ab invitatis viris specialistis, etiam, ex aliis gentibus, in istis materiis respectivis praeclaris.

Quibus addere opportuit *Superiores cursus religiosos*, qui nunc jam in 7 praecipuis urbibus ditionum bohemiarum magno cum

successu habentur bis quolibet mense. Cum ista actione cohaerent quasi innumerae *conferentiae* de quaestioribus hujus aetatis, praesertim quoad Actionem catholicam, de qua P. Dr. Reginaldus Dacik edidit dissertationem theologicam, sui generis primam, non solum apud nos, verum etiam simpliciter. P. Dr. Braito, Director universorum, quae ab hoc Studio Olomucensi eduntur, praeter diversa sua opera jam edita, librum Ecclesiologyae preparat. Et sic iterum in laborem unionisticum intravit.

Quem laborem nobis Reverendissimus *Magister Generalis* specialibus litteris suis commendavit die 29. Aprilis, anni 1932, in quibus inter alia dicit: „Aliae Provinciae missiones transmarinas habent; Provincia autem Vestra a Domino videtur destinata ad periculososimum mare dissensionum, invidae, inimiciatarum, errorum, qui Slavos orthodoxos a salutari portu Ecclesiae catholicae separant, transfretandum. Laudamus Vos, quod bonum fecistis initium libelli editione in lingua russica de nostro Ordine, et Romam mittendo unum Provinciae Vestrae filium, qui studia orientalia perficiat.“

Ab anno 1933 novum opus agressi sunt Patres Studii Olomucensis, editionem sc. hagiographicam „*Vítězové*“ (Victores) nominatam, in qua jam 54 vitae sanctorum in brevi forma traditae sunt, praesertim eorum, quorum virtutes modernis exigentiis temporum adaptae sunt. Inter quos etiam vita S. Josaphat.

Novissimum opus est *Hebdomada religiosa*, quae primo coadunata est anno 1938 in Monte Sacro prope Olomucium. Post peracta exercitia spiritualia discutiuntur in paelectionibus et disputationibus quaestiones principiores de vita religiosa, sociali, de Actione catholica, et aliis ad vitam christianam pertinentibus, ut praesertim eruditiores catholici edacentur in apostolos veritatis.

Provincia jam a 50 annis habet popularem ephemeridem pro tertiaris et amicis Ordinis, *Rosa dominicana*, quae ultimo anno etiam ad centrum Olomucense translata est.

In aliis Conventibus Ordinis activitas Patrum occupatur tum in cura animarum parochiali (Praha, Plzeň), tum missionibus profidelibus, tum denique in auxilio praestando clero diocesano quoad curam animarum.

In ultimo Capitulo provinciali Provinciae expetita et a RMo.

Magistro Ordinis promissa est provinciae Bohemiae activa participatio *in missionibus exteris*, jamque incipit praeparatio juniorum ad istum laborem, iterum in sensu antiquae traditionis Ordinis et Provinciae, versus Orientem.

Anno 1939 demum incepit editio novae mensilis ephemeridis pro christiane fovenda cultura. Nomen „Výhledy“ (Prospectus) viam ipsius ostendit, illuminare vias, quas tenere opportet homini catholico in quaestionibus non solum religiosis, verum praesertim in quaestionibus culturae non directe religiosae, sc. in problematibus, cohaerentibus cum philosophia, pulchris artibus, cum vita familiari et sociali, necnon omnes actuales quaestiones, praeter politicas, quae hic et nunc emergunt. Numerus praenumerantium fere attigit magnum numerum praenumerantium ephemeridem Nahubinu.

MEMENTO MORTUORUM

Ve čtvrtek 12. ledna t. r. zemřel v Praze věhlasný slavista dr. *Miloš Weingart*, profesor staroslověnštiny a srovnávacího jazykozpytu na universitě Karlově v Praze. Narodil se v Praze 21. listopadu 1890. Po gymnasiálních a universitních studiích habilitoval se 24. července 1919, řádným profesorem slov. filologie na univ. Komenského v Bratislavě byl jmenován 14. září 1921 a řád. prof. na Karlově universitě v Praze 17. prosince 1926. Jedna z nejprvnějších studií Weingartových, udávající program jeho životní práce je spis *Bulhaři a Cařihrad před tisiciletím*. List z dějin byzantských vlivů na osvětu slovanskou. V Praze 1915. — Z četných jeho prací jmenujeme dva vzácné jubilejní spisy, týkající se jazyka staroslověnského a to spis *Dobrovského Institutiones*. Na vděčnou paměť jeho stoletého jubilea. V Bratislavě 1923; dále spis *Prvni česko-cirkevně slovanská legenda o sv. Václavu*. Rozbor filologický. V Praze 1934. — Řadu článků a studií, týkající se otázky cyrilometodějské výběc, přinášel sborník redigovaný prof. Weingartem: *Byzantino-slavica. Recueil pour l'étude des relations byzantino-slaves*. V Praze 1929—1938. Vol. 7. Ve sbírce didaktických příruček vyšla Weingartova: *Rukověť jazyka staroslověnského I—II.*, v Praze 1937—38

jako poslední dílo, nadaného, pilného a plodného autora. Profesor Weingart zemřel náhle, byv raněn srdeční mrtvicí, ve věku 48 let. Předčasným jeho odchodem utrpěla naše slavistika ztrátu velikou.

Weingart byl katolík, který se veřejně k víře hlásil; ke cti zesnulého slouží, že s několika jinými univ. profesory podepsal vyzvání k učitelstvu, aby škole byl navrácen kříž a náboženský duch ve vychování. Pohřben jest s církevními poctami na hřbitově v Olšanech za velikého účastenství přátel a cititelů; nad jeho hrobem pronesli smuteční řeči zástupcové tří universit: Karlovy v Praze, Masarykovy v Brně a Komenského v Bratislavě. Budiž Ti země lehká!

Vajs.

V neděli 5. února zesnul v Pánu zasloužilý unionistický pracovník dr. František Pechuška, profesor náboženství na státní reálce v Praze VII, čest. konsistorní rada diecese prešovské. Narodil se 10. ledna 1882 v Dolním Záhoří u Písku v Čechách. Po gymnasiálních studiích v Písku a theologických na universitě Karlově v Praze byl ordinován 1905. Působil v duchovní správě v Brucku u Mariánských lázní, v Počáplích u Berouna, v Hostivaři a u sv. Havla v Praze. Za světové války byl povolán k vojenské službě jako polní kurát, v kterémžto úřadě byl činným zejména v Srbsku. Za dlouhého pobytu v Jugoslavii přilnul k Jihoslovanům, zamiloval si jejich jazyk a zůstal i potom s nimi ve stálém spojení. Své jazykové a literární vědomosti doma rozšířil studiem na filosofické fakultě university Karlovy, na níž dosáhl i hodnosti a titulu doktorského 1936.

Jako disertační práci podal spis : *Kniha Job* v překladu staroslovanském. Mimo to zanechal v rukopise cennou studii o staroslov. překladu *Skutků apoštolských*. V poslední době pracoval o otázce, odkud přišli dalmatští hlaholáši za císaře Karla IV. do slovanského kláštera v Praze Emausích; práce má titul : *Benediktinské opatství Rogovo v Dalmacii*. (Viz časopis katol. duchovenstva 1939.)

Idealista, jaký byl prof. Pechuška, působil vzorně jako učitel náboženství, takže si zjednal vážnost a úctu jak u žáků tak i u svých kolegů ve sboru profesorském. Zesnulý byl horlivým šířitelem úcty slov. apoštola sv. Cyrila a Metoděje, k jichž úctě kázával dlouhá léta na měsíčních schůzích apoštolátních. Byl dlouhá léta jednatelem arcidiecéns. odboru Apoštolátu sv. C. a M. a prvním jeho čestným členem. Horlivě se účastnil unionistických sjezdů velehradských a s nemalými obětmi organisoval unionistickou konferenci v Praze 1929 v milenariu smrti sv. Václava i velehradské pouti. Získal si velikých zásluh o zřízení fary a duchovní správy řecko-katolické v Praze, takže duchovní správa a celá obec řecko-katolická ztratila v prof. Pechuškovi otcovského příznivce.

V závěti projevil zesnulý skromné přání, aby byl pohřben z památného kostela sv. Klimenta pap. a mučedníka v Praze-I, při němž je zřízena řecko-katolická duchovní správa v Praze pro země České a Moravské. Té cti se mu dostalo. V den pohřbu byla sloužena za zesnulého slavná mše sv. obřadem východním s panychidou. Po absoluci lat. obřadem doprovodil svého kolegu ze studií pražský gener. vikář prelát dr. Th. Opatrný. Pohřben jest ve svém rodišti Záhoří se svojí milovanou matkou, devadesáti letou, která v týchž dnech zemřela. Prof. Pechuška mnoho v životě pracoval, mnoho dobrého vykonal a ještě více snad vytrpěl. Ave !

Vajs.

In deposito Academiae Velehradensis adhuc supersunt:

Slavorum litterae theologicae:

Conspectus periodicus, Pragae. (Incomplete!)

Tom. I. 1905

Tom. III. 1907

Tom. V. 1909

Tom. II. 1906

Tom. IV. 1908

Tom. VI. 1910

Acta Academiae Velehradensis:

(Incomplete.)

Tom. VII. 1911 fasc. 1. – 2., fasc. 3., fasc. 4. 20 C.

Tom. XI. 1920 – 1922, 15 C

Tom. VIII. 1912 1. – 3. fasc. 10 C.

Tom. XII. 1. – 2., 1932

Tom. IX. 1913 1. – 2. 5 C.

Tom. XII. 3. – 4., 1934.

Tom. X. 1914 – 1919. 30 C.

Acta Conventus Velehradensis:

Acta I. Conventus Velehradensis. 10 C.

Acta IV. Conventus Velehradensis, 40 C.

Acta II. Conventus Velehradensis. 10 C.

(leg. 50 C.)

Acta III. Conventus Velehradensis. 15 C.,

Acta V. Conventus Velehradensis, 50 C

Acta VI. Conventus Velehradensis. 50 C.

Opera Academiae Velehradensis:

Tom. II. *Konstantinus-Cyrillus und Methodius, Die Slavenapostel* von Fr. Snopek, Kremsier 1911. 30 C.

Tom. III. *Nomenclator (incompletus).*

Tom. IV. *Acta conventus Velehrad.* III. uti supra.

Tom. V. *Die Slavenapostel*, Kritische Studien von Dr. Franz Snopek, Kremsier 1918. 30 C.

Tom. VI. Trudy. *Acta Conventuum Velehradensium in lingua russica.* 10 C.

Tom. VII. Popov, *Katechismus (germanice).* 5 C.

Tom. VIII. *Vladimír Sergijevič Solovjev, jeho život a působení* od K. Jindřicha. 5 C.

Tom. IX. Dr. Fr. Grivec, *Pravoslaví*, ze slovinského rukopisu přeložil Martin Chudoba, Kroměříž 1921. 5 C.

Tom. X. *Byzantinské pojímání církevního prvenství s dodatkem o pravověrnosti svatého Cyrila a Metoda* od Fr. Grivce, univ. prof., přel. Martin Chudoba, Kroměříž 1922 (exhaustum.)

Tom. XI. *Acta V Conventus Velehradensis 1927.* 50 C. (2 Dol. am.)

Tom. XII. Dr. Grivec, *Die hl. Slavenapostel Cyrilus und Methodius.*

Tom. XIII. Dr. Bonifác Segefa, *Církev východní a západní.* Z jazyka řeckého český překlad. 25 C. (Socii A. V. 16 C.)

Tom. XIV. *Acta cursus Pragensis 1930.* Pretium 38 C.

Tom. XV. Rudolf Hurt, *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě 1934.* 60 C.

Tom. XVI. Dr. Vincenc Pořízka, *Solovjev a Církev.* 1935. 15 C.

Tom. XII. Dr. Jos. Vajs, *Evangelium sv. Jana.* Text rekonstruovaný. 45 C.

Tom. XIII. Dr. R. Hurt: *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě.* Díl II. 1938. 60 C.

Academia Velehradensis
Olomouc ČSR. Facultas theologica a.s. C. et M.

**ACTA
ACADEMIAE
VELEHRADENSIS**

**ANNUS XV.
FASC. 2.**

OLOMUCII 1939

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 K, pro externis 40 K.

Redactores: Prof. dr. *Jos. Vašica*, msgre *Frant. Jemelka*, prof. dr. *Jos. Matocha*, collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Úřednická 7.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*

Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. *Grivec*, Ljubljana; dr. Jos. *Slipyj*, rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. *Salaville*; prof. dr. M. *Jugie*; dr. Georgius *Hofmann*, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. *Ammann*, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus *Spáčil*, dr. Thomas *Kurent*, S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas *Živković*, prof. univ. Zagreb; dr. Rochus *Rogošić*, prof. theolog. Makarska; dr. Ignatius *Świrski*, prof. univ. Wilno; dr. *Špurek*, prof. theolog. Obořiště; dr. Ant. *Salajka*, Praga.

Contenta in fasc.: 2.

	Pag.
Praeses-moderator Conventuum Velehradensium	85
Dr. <i>Vajs</i> , Mešní řád	89
„ „ přílohy ,	143
P. G. <i>Hofmann</i> S. J. Documenta de theologis concilii Florentini	157
Dr. Joannes Chrys. <i>Jaroš</i> , C.ss.R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos	164
Varia: De celebratione jubilaei S. Vladimiri	176



SANCTI SACERDOTII LUSTRA DECEM
DEO DANTE FELICITER COMPLENTI
EXC.MO AC REV.MO D. ARCHIEPISCOPO

DRI LEOPOLDO PREČAN,
ACADEMIAE VELEHRADENSIS FAUTORI,
DIVINA AUXILIA VOTIS INTIMIS
EIUSDEM ACADEMIAE IMPLORAT
PRAESIDIUM

Acta Academiae Velehradensis

Tomus XV.

A. D. 1939.

Fasc. 2.

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 410/39.

Olomucii, 13. VI. 1939.

IMPRIMATUR

† LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

PRAESES MODERATOR CONVENTUUM VELEHRADENSIMUM SACERDOS JUBILANS

Die 5. Julii, festo ss. Cyrilli et Methodii, integra archidioecesis Olomucensis solemnia celebrabit festa grato cum animo erga Deum O. M. recolens quinquagesimum anniversarium ordinationis sacerdotalis Excellentissimi Domini archiepiscopi Dris Leopoldi *Prečan*, metropolitae Moraviae et praesidis-moderatoris Conventuum Velehradensis. Gaudēbit universus clerus una cum omnibus fidelibus archidioeceseos, gaudēbit Velehradium et amplissima civitas, efformata ac enutrita ad sepulchrum sancti Methodii zelo et amore sanctae unitatis, parans vias Domini ad unum ovile et ad unum Pastorem.

Quae civitas hoc anno conventura esset, ad celebrandum octavum Conventum Velehradensem, sed Deus disposuit aliter, ex parte convenit ad sepulchrum sancti Petri ut coram cathedra orationes fervidas funderet pro redintegratione vinculi unitatis et caritatis in Oriente christiano. — Tamen conventum agimus in spiritu jubilationis et psallimus venerabili sacerdoti semisaeculo sancti sacerdotii peracto ingredienti ad altare Domini: „Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. Benedictionem omnium gentium dedit illi. Et testamentum suum confirmavit super caput eius.“ (Eccl., 44.)

„Ecce sacerdos magnus“ Prima vice anno 1924 IV. Conventum Velehradensem inchoanti non tantum omnes congressistae ex corde ita applaudebant, sed oraculo supremae auctoritatis in Ecclesia Dei magnus sacerdos conventibus Velehradensis constituebatur moderator et praeses: „Propterea Tibi, Venerabilis Frater, cuius religio, doctrina, prudentia, consilium aliaque singularia animi ingeniique ornamenta perspecta plane Nobis explorataque sunt, et quem non dubitamus, in obeundo quarti huius studiorum conventus prope Sancti Methodii Episcopi sepulchrum in civitate Velehrad gravissimo munere praesidis ac moderatoris, exspectationi Nostrae plenissime responsurum fore . .“

„In diebus suis placuit Deo. Fecit eum Dominus crescere in plebem suam . .“ Tempore quo cultus ss. Cyrilli et Methodii per regiones patriae in dies majores nactus est progressus, e piissimis parentibus natus est 8. Martii 1866 in Velký Týnec prope Olomoucium Leopoldus Prečan, quem pia mater in sanctuario Montis sacri Dei Genitrici obtulit dedicavitque. Qua dedicatione munitus, Deiparae auxilia sacerdos jubilans in tota sua vita est expertus, filiali amore erga Matrem coelestem semper eminens.

Placuit Deo assiduo labore, et quidem iam in studiis scholae mediae, sed eo magis tempore, quo fundamenta ponebat clericus seminarii majoris Olomucii et auditor theologicae facultatis, ad illas qualitates animi et cordis, quibus unice sacerdos formatur secundum Cor Jesu, qualitates et ornamenta animi ingeniique, de quibus cum tali laude scribere potuit b. m. Pius XI. — Mira quae-dam convenientia aderat anno 1885: ubique in regionibus slavicis, praesertim autem in sanctuario Velehradensi recolebatur millennium anniversarium beatae mortis s. Methodi, primi metropolitae Moraviae et eius successor ingrediens seminarium elegit sortem Domini. Facta actaque istius sancti anni profunde ac salubriter influerunt in formatione illius, qui secundum inscrutabilia decreta divina ad exemplar beati Methodii crescere in plebem suam debuisset, ut simili modo „ibique factus forma gregis ex animo, rei catholicae inservire majore in dies studio insisteret. Quin etiam Pannonios, Bulgaros, Dalmatas in fide christiani nominis confirmaret!“ — Die 5. Julii a. D. 1889 sacerdos ordinatus usque ad annum 1894 in cura animarum adlaborabat, quinque anni, quibus

extra Olomucium jubilans degebat. Omnes sequentes labores dedicandi erant theologicae facultati, archiepiscopali seminario majori necnon archiepiscopali consistorio ab anno 1894 usque ad annum 1923. Quasi triginta anni absconditi ac indefessi laboris: 10. X. 1894 adjunctus theologicae facultatis, lector s. Scripturae in seminario. Annis 1896—1897 supplens professor studii biblici Novi Testamenti. A 27. Octobris usque ad 31. Dec. 1922 erat docens juris canonici, tempore, quo simul diversa munera in archiepiscopali consistorio, veluti secretarii, cancellarii, vicarii generalis, vicarii capitularis, assumebat, crescebat ad plenitudinem sacerdotii.

,*Testamentum suum confirmavit super caput eius*“ ThDr. Leopoldus Prečan die 10. Novembris 1923 a Summo Pontifice b. m. Pio XI archiepiscopus Olomucensis nominatus, die 30. Decembris 1923 consecratus et solemniter inthronisatus est. Temporibus valde difficilibus gubernacula archidioeceseos assumpsit eaque iam nunc temporis per sexdecim annos dirigit et revera „forma gregis factus ex animo, rei catholicae inservire majore in dies studio institit“ Culmen istius formativae actionis significant procul dubio in episcopatu metropolitae Prečan conventus Velehradenses. Quatuor tales conventus coegerit Velehradii (anno 1924, 1927, 1932, 1936), praeterea praererat Cursui orientali Labacensi a. 1925 et illi Pragensi a. 1929. Si iudicia de illis Conventibus publica perlustramus, quae in periodicis scientificis finitis conventibus prodierunt, si Litteras S. Pontificis Pii XI ad tales congressus directas vel rescripta S. Congregationis pro Ecclesia Orientali ad relationes de peractis Conventibus animo recolimus, unanimis aestimatio ac laus in illis appareat praesidis ac moderatoris Conventuum Velehradensium. Idem dicendum est de Congressu catholicorum, qui Pragae a. 1935 celebrabatur prasentibus omnibus nationibus nostrae patriae sub ductu ipsius Legati apostolici, card. Verdier. Prouti Dr. Leopoldus Prečan in omnibus muneribus assumptis et obeundis semper suis superioribus apprime respondebat, respondit exspectationi S. Pont. Pii XI plenissime, qui eum praesidem moderatorem constituit.

Nonoque die [octobris 1438], ut publicae disputationes fierent, est conventum, et simili ritu et ordine, quo in cathedrali ecclesia retuli, ordinatis sedibus in maiori capella apostolici palatii convenerunt Summus Pontifex una cum venerabili Latinorum caterva ac imperator et patriarcha cum Graecorum comivitiva.

LUDOVICUS. Rem quidem dictu audituve mirabilem audio cau-

sam fidei in contentionem deduci, quae quidem nec omnium, qui huic conventui praesentes fuerant, communi assensu poterat mutationem suscipere. Sed de his alias verbum faciam, an iure factum sit, ut ad fidei parem disceptationem admissum sit Graecos venire, cum solum ut dogma nostra susciperent instructionesve fideles, quas docet et tenet universalis Romana Ecclesia, quae nullius hæresis contagione unquam aspersa est nec labefactari permittitur, et Dei, Pauli¹ verbo, qui pro ea semper indefesse orare professus est, tantummodo forte fuerant convivandi. Sed de his nunc verbum non fiat.

Dic ergo, quorum organis res tam grandes in medium prolatæ sunt. Scio oportuisse certos fuisse dispositos, prout ex tuis verbis factum fuisse percepisti, qui onus disputationis hinc inde susciperent. In hoc namque est intellectualium rerum praestantia, quod corporalibus certaminibus omnium corpora adiumento sunt, intellectualibus vero paucitas, praestantium tamen animi vigore, ac elegantia virorum venerabilium.

ANDREAS. Dixi: sex hinc inde fuisse dispositos.

LUDOVICUS. Ex nostris qui?

ANDREAS. Rev.mus dominus cardinalis Sanctae Sabinae, Sancti Angeli cognominatus, dominus archiepiscopus Collocensis ordinis praedicatorum, dominus episcopus Foroliviensis ordinis minorum, dominus provincialis Lombardiae ordinis praedicatorum, dominus Petrus Perquerii magister in sacra pagina ordinis minorum, et dominus Iohannes de Sancto Thoma ordinis Heremitarum.

LUDOVICUS. Ex Graecis vero?

Dominus Marchus archiepiscopus Efesinus,² dominus metropolita Russiae, dominus archiepiscopus Nicaenus aetate iuvenis sed doctrina et gravitate venerabilis, quidam saecularis et duo cruciferi Sanctae Sofiae,³ quos cardinales vocant.

b) PRAKTIKA — MANSI 31A, 495 B—C.

¹ Cf. discipulum S. Pauli, Lucam 22, 32.

² Post Efesinus *habentur haec verba cancellata*: vir quidem apud Graecos doctissimus.

³ Soffiae Ms.

Μέσον δὲ τοῦ ναοῦ πρὸς μὲν τὸ θυσιαστήριον ἐκάθισαν οἱ διαιλεγόμενοι τῶν Λατίνων, τὸν ἀριθμὸν ἔξ, βλέποντες πρὸς δυσμάς.

ἀπὸ δὲ τοῦ δυτικοῦ μέρους ἐκάθισαν οἱ ἔτεροι ἔξ τῶν Γραικῶν, βλέποντες κατ' ἀνατολὰς πρὸς τὸν διαιλεγομένον.

Ἐπάνω δὲ τοῦ θυσιαστηρίου προύκειτο τὸ ἄγιον εὐαγγέλιον ἀνεπτυγμένον, καὶ ἔξ ἐκατέρων τῶν αὐτοῦ αἱ στῆλαι τῶν ἀγίων ἀποστόλων Πέτρου καὶ Παύλου μετὰ λαμπάδων ἐκατέρωθεν τριῶν.

Ὑπῆρχον δὲ οἱ ἐκλεγέντες παρ' ἡμῶν ὁ μητροπολίτης Ἐφέσου κῦρος Μάρκος, ὁ Ρωσίας κῦρος Ἰσίδωρος, Νικαίας κῦρος Βησσαρίων, ὁ μέγας σκευοφύλαξ ὁ Ξανθόπουλος ὁ λεγόμενος Σιδεροφάς, ὁ μέγας χαρτοφύλαξ κῦρος Μιχαὴλ ὁ Βαλσαμών καὶ ὁ κῦρος Γεώργιος ὁ Γεμιστός.

Οἱ δὲ τῶν Λατίνων ὑπῆρχον· καρδινάλεις δύο, ὁ τοῦ ἀγίου Ἀγγέλου Ιούλιανὸς ὁ Καισαρίνος καὶ τοῦ ἀγίου Σταυροῦ Νικόλαος ὁ Ἀλβεργατος καρδινάλις Φιρμάνος,

ἀρχιεπίσκοποι δύο, ὁ Ρόδου Ἀνδρέας καὶ ὁ Φορολιβιένσις ἐπίσκοπος Ἰωάννης,

καὶ δύο διδάσκαλοι τῆς θεολογίας ἱερομόναχοι, ἀνδρεῖς σοφοί.

Τούτων ἀντικρὺ καθισάντων ἐφιλοτιμήθη ἡμῖν ἡ ἔναρξις τῆς διαλέξεως.

In medio vero ecclesiae iuxta altare sederunt disputantes Latinorum, numero sex, asciipientes ad occidentem.

Ex parte autem occidentali (ecclesiae) sederunt alii sex Graecorum, spectantes ad orientem, ad disputantes (Latinos).

Supra altare positum erat sanctum evangelium, apertum, et ex utraque parte eius statuae sanctorum apostolorum Petri et Pauli cum tribus candelis hinc et hinc.

Fuerunt a nobis electi metropolita Ephesus dominus Marcus, (metropolita) Russiae dominus Isidoros, Nicaeae (metrop.) dominus Bessarion, magnus scenophylax Xanthopoulos cognomento Siderophas, Michael Balsamon, dominus Georgius Gemistos.

Latinorum vero (disputantium) erant duo cardinales, Julianus Cesarini (tituli) S. Angeli, Nicolaus Albergati (tituli) S. Crucis (dictus) cardinalis Firmanus,

duo archiepiscopi, Andreas Rhodiensis et Foroliviensis episcopus Iohannes,

duo magistri theologiae, sacerdotes monachi viri docti.

Hi cum sedissent sese adversi consipientes, honoris causa nobis concessum est, ut disputacionem inchoaremus.

c) SYROPOULOS VI, cap. 13 — CREYGHTON 161; Paris. gr.
427, 107^r — 107.^v

'Eπὶ τούτοις εἶπεν ὁ βασιλεὺς· ἐκλέξασθε, τίνες ἔσονται οἱ προσδιαλεγόμενοι.

'Εξελέξαντο οὖν ἕξ, τὸν Ἐφέσου, τὸν Ῥωσίας, τὸν Νικαίας, τὸν σοφὸν Γεμιστόν, τὸν μέγαν χαρτοφύλακα, καὶ ἐμέ.

'Εγὼ δὲ πολλὰ ἵκετεύσας τὸν βασιλέα καὶ τὸν πατριάρχην, ἵνα ἐκβάλωσι με τῆς τοιαύτης τάξεως. Εἴτα καὶ τὸν Πνευματικὸν εἰς τοῦτο εὑρὼν συνεργόν, μόλις εὗρον τὸ ἀπεῖναι με τοῦ τοιούτου κόπου.

Διὸ καὶ ἀντ' ἐμοῦ ἔταξαν τὸν μέγαν σκευοφύλακα.

'Ετάχθησαν δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ μέρους τῶν λατίνων ἐκλελεγμένοι, καρδινάλιος ὁ Ἰουλιανός, ὁ Ῥόδον Ἀνδρέας, ὁ ἐπίσκοπος Φρουλιένσης, πρεβεντιάλιος ὁ Ἰωάννης, καὶ ἔτεροι δύο.

'Υπετύπωσε δέ πάλιν ὁ βασιλεὺς, ἵνα διαλέγωνται οἱ δύο μόνοι, ὁ Ἐφέσου καὶ ὁ Νικαίας.

Deinde imperator dixit: elegit, qui (cum Latinis) disputabunt.

Elegerunt ergo sex, Ephesinum, Russiae, (metropolitam) Nicaenum, doctum Gemistos, magnum chartophylacen, et me.

Ego vero imperatorem et patriarcham multum deprecatus sum, ut me ab hoc ordine removerent. Deinde, cum etiam Confesarium (imperatoris) me adiuvantem invenissem, obtinui, sed difficulter, ut ab huiusmodi labore liberarer.

Propterea etiam in locum meum substituerunt magnum scenophylacem.

Ex parte Latinorum electi erant cardinalis Julianus, Andreas Rhodiensis, episcopus Foroliviensis, provincialis Iohannes, et duo alii.

Iterum imperator decrevit, ut duo soli scilicet Ephesinus et Nicaenus, sermones proferrent (in disputationibus cum Latinis).

(Continuabitur.)

IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C.ss.R.

(Continuatio.)

Nomocanon refert etiam optime notam epistulam Theodori Studitae: „de non coronandis bigamis, etiam si una pars virgo sit“³⁷⁹ necnon aliam hucusque ignotam decisionem synodalem probabilius ipsius synodi Archiepiscopiae Achridanae quae „privatae“ opinioni S. Theodori Studitae dedit valorem officialem, legalem.³⁸⁰ Revera characteristicum est, quam saepe fontes hoc de impedimento loquantur. Propter quod nihil mirum, si tam inradicatum in consuetudinibus Bulgarorum inveniatur. Multa antiqua proverbia ad hanc prohibitionem referuntur. Vidua quae de novo nupsit cum contemptu vocari solet „vetus vas cum novo fundo“; vir, qui tertiam duxit uxorem, excusat „scelus“ suum: „Prima uxor, mulier mea; secunda uxor, adiutrix mea; tertia uxor, sacra imago mea, quam tangere non audeo.“ In genere dein valet axioma: „Una nativitas, unum baptisma, una coronatio, una mors.“³⁸¹ Antiquitus, diximus, impedimentum polygamiae successivae impiediebat (melius inhabilitabat) tertium matrimonium contrahere. Quae severior lex pro lectoribus secundum nomocanonem Joannis Comneni in vigore remansit.³⁸²

Matrimonii benedictio indiscriminatim pro liberis ac pro servis praescribitur: „Servi autem,“ legimus in Nomocanone Joannis Comneni, „qui sine sacra benedictione cum ancillis coniuncti sunt, nisi benedictione initientur, non debent divinorum sacramentorum fieri participes, sed ut scortantes ab iis prohiberi. Ita secundum Patrum sententias et constitutiones . . . Antistitibus autem tributa licentia est dispensationes ($\tauὰς οἰκονομίας$) in his faciendi iuxta datum iis divinum spiritum et gratiam. Ob eamque rem dicimus et pronuntiamus consentaneum esse locorum magistratus seu antistites de his interrogare et eos adiutores habere. Illi enim potius de sibi credito grege rationem Deo reddent. Dicere autem eos, qui peccant, non ferre canonum severitatem, nihil ad nos. Ait enim coelitus resplendens Basilius in 84. canone fructus

poenitentiae probari oportere: non enim ad tempus, sed ad modum (seu zelum poenitentiae) omnino attendimus".³⁸³ Notandum ergo:

- a) dispensationem, de qua textus loquitur, ad poenam scortantium tantummodo referri, neque dispensationi modernae, ut iam diximus, aequivalere;
- b) praescriptionem dici „traditam a sanctis Patribus,” non latam per novellas Leonis VI Sapientis et Alexii Comneni;
- c) imo in toto nomine non una m quidem normam ex legibus Byzantini civilibus receptam esse.

Introductionis iuris Byzantini civilis matrimonialis in Bulgaria, respective in Archiepiscopiam Achridanam, maximus promotor exstitit DEMETRIUS CHOMATENUS, quintus inter classicos iuris Byzantini ecclesiastici interpretes.³⁸⁴ Cuius sententiae, responsa, epistulae et tractatus, impedimento raptus excepto, totum ius matrimoniale tangunt. Fontes iuris Byzantini civilis quibus utitur hi numerantur: Basilicalia et Novellae imperatorum: Iustiniani I, Leonis VI Sapientis, Romani senioris, Alexii I Comneni et Manuelis I, Comneni.³⁸⁵ Ex synodalibus Patriarcharum Constantinopoleos decisionibus illas tantum adducit, quae ab imperatoribus Byzantinis expresse sunt agnитae. Quodsi inter canones fundamentales et novellas imperatorum antinomiam reperit, aut questionem insolutam relinquit aut novellas canonibus anteponit.³⁸⁶ Iuxta Demetrium Chomatenum:

Impedimentum aetatis tam pro matrimonio quam pro sponsalibus ecclesiasticis ad duodecimum (pro muliere) et decimum quartum (pro viro) annum completum extenditur. Si tamen lex illa transgressa sit, uti ex populi consuetudinibus frequentibus fieri solebat, eiusmodi pacta consideranda sunt tamquam non subsistentia tamquam numquam facta: ὡς ἀνυπόστατα καὶ μὴ γεγόνοτα Nec ulla consequentia sive canonica sive civilis oritur, quotiescumque sponsalia ante septimum aetatis annum inita sunt. Defectus aetatis, nisi altera pars exceptionem opponat, tractu temporis sanatur.³⁸⁷

Impotentia non solum causam divorii, sed etiam impedimentum dirimens iuris privati constituit. Impotentiam esse impedi-

mentum dirimens haud subobscurae in quibusdam sententiis divortii indicatur: „Etiamsi Maria convincatur forsan de fornicatione patrata durante matrimonio inito cum viro impotente,” declarat synodus Achridana in appellata sententia nullitatis matrimonii ob dementiam et impotentiam, „et etiamsi poenae talem mulierem ex adulterio condemnent, attamen potentia viri eiusdem (una vice cognita in foro externo) revocat has poenas: Nam illam tantum pro veraciter adultera reputamus quae a consuetudine cum viro proprio potente non impeditur et tamen miscetur alteri propter insatiabilem brutalemque concupiscentiam.”³⁸⁸ Executio tamen sententiae nunquam imponitur, sed partium optioni relinquitur.³⁸⁹

Unice relate ad impedimentum ligaminis, respective relate ad matrimonii solubilitatem Demetrius Chomatenus iuri Basilicorum non adhaesit, licet fortasse inconscie. Inconscie, quia Basilicalia, ad quae Demetrius semper in divortiis concedendis recurrebat, primo adspectu causas divortii taxativas solummodo agnoscere videntur; dicunt enim: „Quoniam autem quidam legem nostram student transgredi, in qua specialiter causas enumeravimus, ex quibus solis repudia vel a marito vel ab uxore mitti possunt, iubemus praeterquam ex illis causis nullo modo repudia fieri vel facta valere aut consensu matrimonia dissolvi et coniuges sibi invicem peccata condonare”.³⁹⁰ Verumtamen huius textus sensum scholion adiunctum, a Demetrio Chomateno forsan incognitum explicat. „Si repudium factum fuerit ex aliqua causa constitutionibus non memorata, male quidem fit, sed tamen valet.”³⁹¹ Demetrius e contra declarat in una sua sententia divortium ex iure gentium seu divortium factum praeter causas taxative stabilitas „non subsistens ὡς ἀνυπόστατον” et subsequens matrimonium peccatum appellat adulterii τὸ ἀμάρτημα τῆς μοιχείας³⁹² Divortium consensuale est licitum imo et obligatorium in duobus casibus tantummodo: si unus ex coniugibus (vel sponsis) vitam monachalem elegerit aut si maritus ad episcopatus dignitatem electus sit.³⁹³

Demetrius Chomatenus expresse recipit principium Byzantinum de exaequatione inter sponsalia et matrimonium: ἡ μνηστεία . . . τῷ τελειῷ γάμῳ τὸ ἴσοδύναμον³⁹⁴ illudque ad normam no-

vellarum Leonis VI Sapientis et Alexii I Comneni explicat: Distinguendum est imprimis inter sponsalia iuris civilis (Byzantini) et sponsalia ecclesiastica:

Ad sponsalia iuris civilis valide paciscenda requiritur et sufficit septimus annus completus necnon consensus sponsorum eorumque, qui eos in potestate habent, absque ulla sollemnitate manifestatus. Haec sponsalia etiam ex mutuo consensu solvi possunt, quasi-affinitas ex iisdem orta non egreditur primum gradum in linea recta nec secundum in linea collateralis; qui iniuste eiusmodi pacta solvit, matrimonio cum alia persona contracto, ex adulterio accusari nequit, nec ulla sequitur canonica consequentia (irregularis ex bigamia, poenae ecclesiasticae ob fidem non adimpletam etc.).³⁹⁵

Ad sponsalia ecclesiastica vero eadem aetas eademque forma requiritur et universim eadem vigent impedimenta, requisita et vetita ac pro coniugio; affinitas ex sponsalibus ut affinitas ex matrimonio ad sextum gradum inclusive extenditur; vir, qui fidem sponsalitiam violat, uti fornicator punitur, quotiescumque cum soluta vel scortatus est vel matrimonium attentavit; punitur, ut adulterer quotiescumque eadem cum despensata aut maritata perpetravit; mulier, fidei sponsalitiae violatrix, semper ut adultera castigatur. Ille qui cum alia muliere sponsalia contraxit et cum alia matrimonium inicit, etiamsi omnia legitime praecessissent, bigamus reputatur et propterea irregularis. Idem dicendum pro utroque despensato relate ad impedimentum polygamiae successivae.³⁹⁶

Nihilominus sponsalia ecclesiastica nondum sunt perfectum matrimonium: propterea separatim a nuptiis sunt celebranda nec ius conferunt debiti coniugalis, nec absolute ad validitatem futuri coniugii requiruntur: quemadmodum enim in aliis contractibus, in quibus arrhas dari receptum est, non dicitur esse irritum contractum, si arrhae datae non fuerint, ita quoque in contractu nuptiali matrimonium firmum atque indivisum erit, etiamsi sponsalia non praecesserint aut invalide contracta sint.³⁹⁷

Iterum iuris Byzantini civilis influxu Demetrius contra probabilem desuetudinem ecclesiasticam in Bulgaria impedimenta defectus consensus parentum renovavit provocando ad Basilicalia:

„Matrimonium, non nascitur, nisi consentiant et contrahentes et illi, qui hos sub potestate habent.“³⁹⁸

Maximas subrogationes subierunt leges de impedimentis ex cognatione:

Impedimentum consanguinitatis extenditur usque ad septimum gradum inclusive et quidem ad validitatem. Ad validitatem propria, quia Demetrius prohibitionem illam non deducit primarie ex synodalibus decisionibus Patriarcharum Constantinopoleos, sed ex legibus civilibus, in quibus utique impedimenta impedientia non noscuntur: „cognatio ex sanguine prohibitionis terminum ad septimum usque gradum sortita est, ut studiosus discere potest ex legum voluminibus et synodalibus constitutionibus“. Lex enim 5 titulo 28 libro (Basilicorum) sic ait: „inter eas personas, quae sunt a latere, est quaedam prohibitio. Nam fratri et sororis filiam uxorem ducere non licet nec eorum neptem: simili modo nec patrui avunculive, amitae materteraeve filiam, idest consobrinam: sed neque filius meus eorum neptem, qui sobrini appellantur“. Et ita quidem consobrinorum filios, nimirum sobrinos, qui sunt sexti gradus, prohibitarum nuptiarum limitem Novella ipsa posuerat. Septimus autem gradus, quia silentio praeteritus fuerat, locum acceperat nec ad nuptiarum societatem vocabatur. Verum synodalis cognitio facta tempore sanctissimi illius Patriarchae domini Lucae ut turpem et dishonestum hunc septimum gradum propter proximitatem personarum prohibitis et illicitis adiudicavit et ex christianorum abscidit republica. Quam synodalem actionem Novella constitutio imperatoris incliti et Porphyrogenetae domini Manuelis subsecuta est et, quae decreta sunt, sancte confirmavit. Exinde igitur ad hoc usque tempus vetiti gradus sanguinis ad septimum gradum desinunt³⁹⁹ Notandum: metropolitam Demetrium non tradere extensionis huius impedimenti evolutionem completam. Iam anno (circa 1027) Patriarcha Alexius per decre-
tum synodale, seu per veram et propriam legem ecclesiasticam decidit: „Cum saepe motae essent controversiae (de septimo consanguinitatis gradu), institutum est: huiusmodi nuptias antequam processerint non permitti, postquam vero factae fuerint non distrahi quidem, sed eos, qui sic coniuncti sunt, poenis subiici.“⁴⁰⁰

Anno 1052 Patriarcha Michael Caerularius legem hanc in tri-


bunali ecclesiastico applicavit.⁴⁰¹ Attamen quia synodalis Patriarchae Alexii decisio inusitatam fecit derogationem principio generali iuris matrimonialis Byzantini, secundum quod impedimenta impedientia ne concipiebatur quidem, multi legem illam mere prohibentem negotii iuridici substantiam temerarie transgrediebantur. Qua de causa Patriarcha Lucas Chrysoberges anno 1166 impedimentum consanguinitatis lineae collateralis mere impediens nuptias ineundas ad irritans elevavit et gravissimis poenis legis violatores subiecit. Decisionem suam Patriarcha ex abusibus, quos synodale decretum Alexii causavit, iustificat: „Quonam modo“, miratur Patriarcha, „quod cum dolo clam factum est, indulsum manere constituit, qui non permitit fieri, si eius venia petatur? Quomodo hoc a sanctissimo illo Patriarcha (Alexio) excoxitatum sit de una eademque re velut contraria definire? Quidam igitur illud videntes, quemadmodum nostrae mediocritati relatrum est, seque septimi gradus esse scientes et, si huiusmodi contractus sub interrogationem cadat, nullo modo permissum iri, de industria maligne agunt et timori Dei et canonicae constitutioni propriarum libidinum expletionem paeferunt... propter haec igitur moderatio nostra cum sacrosancta fraternitate, factam a sanctissimo Patriarcha domino Alexio synodalem dispensationem in nuptiis septimi gradus cognationis, non prohibitis lege civili neque manifeste permisis, corroborans et formans et veluti interpretans ac declarans, simul etiam multorum fraudem et versutiam resecans et quasi ex radice extipans, ne ulla amplius iniuritatis exoriantur propagines et reprehensionem merentibus liberis respublica impleatur filiorumque a divinis legibus alienorum crescat numerus: nuptias septimi gradus non solum procedere vetat, sed et ante postulationem contractas distrahi iubet: ab hodierno die discernens, ut huiusmodi nuptiae fieri desinant: quae autem iam factae sunt manere debeant indivulsae, non tantum minime assequentur finem, quem sibi proposuerunt (*οὐ μόνον τοῦ οἰκείου σκοποῦ οὐδαμῶς ἀπολαύσοντιν*), sed et cum huiusmodi contractus dissolutione excommunicationi subiificantur...“⁴⁰² Ratio, cur Demetrius Chomatenus in hoc tractatu historico-iuridico mentionem de synodali decisione Patriarchae Alexii omisit, in eo sita est, quod decisio illa a potestate civili non est con-

firmata et idcirco valorem universalem in omnibus ecclesiis Byzantinis non adquisivit. Et siquidem tota illa lex de septimo consanguinitatis gradu nonnisi ab imperatoribus definitivum valorem adquisierit, potest etiam imperator in illa per novellam dispensare, sicuti revera factum est.⁴⁰³

Impedimentum affinitatis:

Oritur ex matrimonio, licet non consummato; nam Demetrius plures expresse reprobat distinctionem inter matrimonium consummatum et non consummatum iuxta principium „consensus, non concubitus facit nuptias“; quod iuris Romani axioma nunc sensum mutat, respective sensum mutavit verbum *consensus*, qui non concipitur amplius ne in iure Byzantino civili quidem uti maritalis affectio.⁴⁰⁴

Impedimentum affinitatis sextum gradum non excedit: Accep-tata computatione civili vigentibusque principiis: Affinitas parit affinitatem et Confusio nominum evitanda: sextus gradus affini-tatis undecim modis obtinetur:



Demetrius Chomatenus loquitur de primo, quarto et octavo modo: „Fieri non potest (*αδύνατον* = impossibile iuridice est), ut

duo fratres duas consobrinas aut viceversa duo consobrini duas sorores uxores ducant. Nam consobrini sunt quarti gradus, germani autem secundi et propter personarum propinquitatem ad nuptiarum societatem venire nequaquam permissi sunt. E duabus enim et quattuor sextus gradus terminatur et e converso ob eamque causam vetitus est.⁴⁰⁵ E contra „patruus seu avunculus et fratri sororisve filius, tertio existentes gradu, cum amita materterave et fratri sororisve filia per nuptias copulati nequaquam poenis obnoxii sunt: non enim iudicatur illicitus huiusmodi contractus, tanquam qui ad sextum gradum ex tribus et tribus pervenit“.⁴⁰⁶ Coniugium cum sobrina mulieris defunctae (I modus) Demetrius quidem ne fiat prohibet, sed factum non dissolvit.⁴⁰⁷ Quomodo de ceteris combinationibus sexti gradus affinitatis metropolita senserit, ex abundantia cabuistica, quam in suis responsis evolverat, non appareat. Nihilominus inter lineas ipsius epistularum canonicarum studium strictae interpretationis huius impedimenti et antipathia quaedam ad acrobatiam Byzantinam in hac re sublatet. Cum igitur decimum et undecimum „varians“ sexti gradus affinitatis (5+1) dubii fuerint valoris iuridici,⁴⁰⁸ iure praesumendum est ne Demetrium quidem illa applicare voluisse; quintum et nonum varians universim in Ecclesia Constantinopolitana ut nefarium consideratum⁴⁰⁹ etiam Metropolita noster illegitimum probabiliter reputaret. Quaestiones de ceteris modis in iurisprudentia totius Ecclesiae Byzantinae non occurrunt et ratio est evidens.

Saeculo XII sub Manuele I Comneno et fortasse adhuc Demetrii Chomatiani tempore acriter de modo numerandi gradus in relationibus affinitatis disputatum est: num scilicet coniuges inter se affines essent et ita primum gradum efficerent. Archiepiscopus negativae sententiae adhaesit ac illam semper in iurisprudentia applicavit: „Cum inter maritum et uxorem nulla intercedat cognatio, prorsus ineptum est dicere virum et uxorem unius esse gradus vel duorum. Nam cognaticae dumtaxat personae gradus gignunt atque constituunt: Alioquin necessario maritus et uxor tanquam pater et filia reputabuntur, ut sub unum gradum redigantur, vel tanquam frater et soror (ut sub secundum gradum veniant . . .). Unde personae istae (maritus et uxor) libere ad nefarium nuptiarum contractum progredientur. Hinc etiam leges inter se

discrepantia quaedam et absurda statuere deprehendentur quas secundi et tertii et quarti et quinti atque etiam ex quattuor e duobus contracta sexti gradus matrimonia velut nefaria prohibeant, quae vero unius gradus sint, fieri permittant, quo sane quic esse possit absurdius?!”⁴¹⁰

Affinitas ex tribus generibus primum gradum non excedit „Prohibitum personarum (ex trigeneia) tantum lex nominatim mentionem faciens sequentes (= omnes alias personas) extra prohibitionem et accusationem sivit. Etenim 4 cap. 5 tit. 28 lib. sic ait ad verbum: „Neque eam quae fuit uxor privigni mei accipio, neque noverca virum quondam suae privignae accipit.”⁴¹¹

Impedimentum quasi-affinitatis oritur solummodo ex sponsalibus, prout iam explicavimus, non vero ex copula illicita: „Non impedietur is, qui furtive (= fornicarie) cum aliqua muliere consuetudinem habuit, quominus sobrinam eius legitimis nuptiis uxorem ducat; nam magnus ille Basilius decrevit: scortationem non esse matrimonium nec matrimonii initium, sed peccatum ecclesiasticis poenis obnoxium.”⁴¹²

Item impedimentum fratrificationis refutat: „Fratrificationes nec lex nec Ecclesia agnoscit” et rationem desumit ex iure Byzantino civili: „Adoptio naturam imitatur” Natura autem filium novit per generationem, fratrem nequaquam. Quod si fratrem natura procreare non potest, nec adoptio ut imitatrix naturae ad faciendam fraternitatem valet. Licitas sunt igitur nec accusationi nec reprehensioni obnoxia huiusmodi matrimonia,⁴¹³ etiamsi aliqua ex formis ecclesiasticis prius quidem usitatis, nunc vero prohibitis ad adoptionem in fratrem faciendam adhibita sit.

Cognitionis spiritualis impedimentum secundum Demetrium Chomatenum bifarie dividitur: ex adoptione in filium et ex baptismo; interdum utramque appellat „affiliationem” Computatio graduum a computatione pro relationibus consanguinitatis et affinitatis determinandis differt: In genere pro omni necessitudine valet „parentela computatur per lineas et gradus”.

Pro consanguinitate dein:

„In linea sive recta sive obliqua tot sunt gradus quot sunt personae stipite dempto.”

In digeneia (= affinitate inter duas familias): „Eodem gradu quo quis alterutri ex coniugibus consanguineus est etiam alterutri affinis“ „affinis ab affini eo distat gradu quo uterque a coniugibus qui familias iungunt per consanguinitatem separantur“

In trigeneia (= affinitate inter primam et tertiam familiam): „Eodem gradu quo quis alterutri ex coniugibus affinis ex digeneia est etiam alterutri affinis ex trigeneia.“

„Affinis ab affini eo distat gradu quo unus per consanguinitatem, alter per affinitatem a coniugibus qui familias immediate affines (primam scilicet et secundam aut secundam et tertiam iungunt, separatur“.⁴¹⁴

Eadem regulae ac pro affinitate inter duas familias immediate affines (pro digeneia seu pro affinitate ex duobus generibus) valent etiam pro cognatione spirituali cauto tamen:

„Pater spiritualis cum filio spirituali non sunt extra gradus positi, sed primum gradum efficiunt“ „affinitatis vincula cognatorum spiritualium non attendentur“

Metropolita Demetrius alium tamen interdum computationis modum pro cognatione spirituali adhibet, secundum quem patrinus eiusque uxor cum parentibus suscepti tamquam unica persona considerantur seu extra gradus ponuntur: consequenter filius patrini consideratur tamquam frater carnalis suscepti; et ita consobrinus suscepti a filio patrini non sexto, sed quarto gradu separatur; sobrinus suscepti separatur a filio patrini non octavo, sed sexto gradu; nepos patrini separatur a consobrino suscepti non septimo, sed quinto gradu et sic porro. Secundum hunc alterum modum respondet Demetrius ad quaestionem: „Suscepit quis ex sancto lavacro filium alterius. Vult suo filio coniungere filiam fratris eius, qui susceptus est, patris (= consobrinam suscepti). Licet hoc fieri an non?“ — „Contractus, de quo interrogatio facta est, non permittetur ad quartum ex transverso perveniens.“⁴¹⁵ Quodsi ergo Demetrius in suo tractatu de gradibus cognationis

declarat „prohibitorius terminus in hac spirituali propinquitate sive ex divino lavacro sive ex adoptione usque ad septimum gradum observabitur ut in sanguinis cognatione“, adhibet primum officialem modum computationis.⁴¹⁶

Pro ceteris impedimentis matrimonialibus propriis dictis nulla invenitur in iurisprudentia Archiepiscopiae Achridanae sub Demetrio Chomateno innovatio, sed frequens et sat clara in iuris scientia Demetrii legum matrimonialium interpretatio inveniri potest.

³⁷⁹ Ms. Vat. ff. 1027—1032 edita in MG (99) 1086—1096.

³⁸⁰ Ms. Vat. ff. 1025—1027 inedita; aliam similem decisionem synodalem incertae originis refert Zhisman o. c. pag. 414 nota 2.

³⁸¹ „Първата ми жена, втората господарка, третата икона що стои високо“ „Вехта крина — ново дно“ — Едно раждане, едно кърщене, едно вънчане, една смърт“ Petev o. c. in SNU. XX. pag. 17 n. 659, 674, 681.

³⁸² Nomoc. IX. cap, 26 ed. MG (104) 784: nihilominus tertium matrimonium lectoris validum esset, tantum ulterius promoveri non potest, proinde lex illa est lex irregularitatis non impedimenti.

³⁸³ Περὶ δὲ τῶν ἀνιερολογήτως συναπτομένων δούλων δούλαις γίνωσκε, φάσι οὐκ διφείλονσιν, εἰ μὴ ιερολογηθῶσι, τῶν θείων μνηστηρίων μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ κωλύεσθαι ὡς πορνεύοντες. Ταῦτα τῇ εὐλάβειᾳ σου κατὰ τὰς θείας τῶν ἄγιων Πατέρων ἀποφάσεις καὶ διατάξεις γράφομεν· τοῖς δὲ ἀρχιερεῦσι δέδοται οἰκονομίας ἐν τοῖς τοιούτοις ποιεῖν κατὰ τὸ δοθὲν αὐτοῖς θεῖον Πνεῦμα καὶ χάρισμα· καὶ διὰ τοῦτο λέγομεν καὶ ἀποφαινόμεθα, ὅτι ἀμόξει τούς ἐνθαδίους ἀρχοντας ἢτοι ἀρχιερεῖς περὶ τούτων ἔρωτῷν καὶ συνεργοὺς αὐτούς ἔχειν ἔκεινοι δὲ μᾶλλον ὑπερ τοῦ πιστευθέντος αὐτοῖς ποιμνίου τῷ Θεῷ λόγους δώσονται. Τὰ δὲ λέγειν, ὅτι οὐ καταδέχονται οἱ ἀμαρτάνοντες τὴν ἀκρίβειαν τῶν κανόνων, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς λέγει γάρ ἐν τῷ πδ' αὐτοῦ κανόνι ὁ οὐρανοφάντωρ Βασίλειος ὅτι δεῖ τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας· οὐ γὰρ τῷ χρόνῳ, ἀλλὰ τῷ πρόπτῳ πάντως προσέχομεν.“ edit. Rhalli ΣV 400; ms. Vatic. ff. 1020—21.

³⁸⁴ Cf. Rozenkampf „Обозрѣніе Кормчей книги въ историческомъ видѣ“ Moskva (1829) pag. 76 et S. St. Bobčev Старобългарски правни паметници“ Sofia (1903) pag. 29.

³⁸⁵ Cf. elenchem fontium, quibus Demetrius usus est, in appendice editionis Pitra (Battandier) VII. 839—857.

³⁸⁶ Cf. notas 352—353.

³⁸⁷ Pitra (Battandier) VII 47—50 ς'; 59—64 υ'; 63—64 ιδ'; 67—68 ιε'; 513—516 ρχβ'; 517—522 ρχδ'; 713 CCVII.

³⁸⁸ „Ἐτ δὲ καὶ ἀλίσκεται ἵσως συνεστῶτος ἔτι τοῦ γάμου πορνεύσασα ἡ Μαρία καὶ αἱ τῆς μοιχείας ποιναὶ ὀρῶσιν αὐτὴν δήπονθεν, ἀλλ' ἀποτρέπει ταύτας τὸ τοῦ

ἀνδρὸς αὐτῆς ἀσυνδίαστον ἐκείνην γὰρ ἀληθῶς μοιχάδα κριοῦμεν, τὴν μὴ ἀρκουμένην τῇ τοῦ ἀνδρὸς ὄμιλᾳ τοῦ οἰκείου, ἀλλὰ ταύτη καὶ ἐπεισάγονσαν ἔτερον διά τὸ περὶ τὴν ἡδονὴν κτηνῶδες τὲ καὶ ἀκόρεστον.” Pitra (Battandier) VII col. 58 documentum IB’.

389 Cf. doc. ρχγ' Pitra (Battandier) VII 515—516 et doc. ρλβ' Pttra (Battandier) VII 535—538.

390 Basil. XXVIII 7, 6 ed. Heimbach tom. III, pag. 227.

391 l. c. Heimbach 227.

392 Pitra (Battandier) VII doc. PI^o c. 437—442.

393 Ibidem; addas doc. PME' col. 561—562.

394 Pitra (Battandier) VII. doc. IΔ' col. 65.

395 Pitra (Battandier) VII. doc. II' col. 59—64.

396 Cf. doc. in nota 394 allegatum et Rhalli ΣV 437—440.

397 Cf. novellas Alexii I. Comneni (de sponsalibus), quas Demetrius saepe allegat; Pitra (Battandier) VII 48, 61, 65, 77, 86, 97, 514, 524, 540, 677 De valore matrimonii absque praevia sponsalium celebratione initi scripsit Nicolaus III. Grammaticus, Patriarcha Constantinopolitanus (a. 1084—1110): quamvis Demetrius nullibi ad hanc synodalem decisionem provocet, certe illam novit. Cf. MG (119) 765—766.

398 Οὐ γίνεται γάμος, εἰ μὴ συναινέσσοντι οἱ συναπτόμενοι καὶ οἱ ἔχοντες αὐτοὺς ὑπεξιοσίους: Demetrius allegat c. 2. Basilicorum librorum XXII tit. 4, sed in editione Heimbachiana h̄ic textus (sicut et plures alii) non exstat.

399 Editum iam in MG (119) 937—942 (editio Leunclavii); item Rhalli ΣV 421—423.

400 MG (119) 743 — Rhalli ΣV 36.

401 MG (119) 747 sq. — Rhalli ΣV 40.

402 MG (119) 770 sq. — Rhalli ΣV 95.

403 Rhalli ΣV 422.

404 Pitra (Battandier) VII doc. CCVII. col. 713 „ἐὰν μὴ συναφεία γέγονε, τέλειος δ γάμος θν” Cf. etiam textum notae 412.

405 Pitra (Battandier) VII. 54—56. Cf. MG (119) 341—342.

406 MG l. c. Quoad affinitatem inspicienda sunt insuper documenta edita apud Pitra (Battandier) VII 1—11, 21—28, 49—52; 559—560.

407 Pitra (Battandier) VII 46—48.

408 Cf. Zhismann o. c. 333 sq.

409 Ibidem 319—342.

410 MG (119) 1125—1128.

411 MG (119) 942—944; Pitra (Battandier) VII 37—40.

412 Pitra (Battandier) VII 33—38; 69—72.

413 Pitra (Battandier) VII 713 doc. CCVIII. Ibidem col. 33; MG (119) 945—946, ΣV 421—426.

414 Cf. classicos tractatus Demetrii „Περὶ βαθμῶν κεκαλυμένων καὶ ἀκαλύτων” et „Περὶ γαμικῶν συναλλαγμάτων καὶ βαθμῶν” in Pitra (Battandier) VII doc. A' et B' col. 1—22.

⁴¹⁵ MG (119) 965 – 966. Haec tamen false Joanni episcopo Citri adscribuntur. Cf. studium cl. A. Pavlov adscribitur: „Кому принадлежать канонические отвѣты, авторомъ которыхъ считается Иоаннъ еп. Китрскій” in Виз. Временникъ I (1894) 493—502.

⁴¹⁶ Rhalli ΣV 421 – 429. Ex quo explicari potest discrepantia inter cl. Zhisman, qui affirmat: „Der Metropolit Demetrius Chomatenus behauptet, dass das Ehehinderniss der geistlichen Verwandschaft in demselben Umfange anzunehmen sei wie bei der Blutsverwandschaft” o. c. pag. 274—275 et inter cl. Sněgarov, qui tenet: „Духовното родство (споредъ архиепископътъ Димитри) било прѣмка за бракъ до V. степенъ включително” (o. c. 113).

VARIA

L'AUGUSTA PAROLA DEL SANTO PADRE PER IL 950^o ANNIVERSARIO DEL BATTESSIMO DI S. VLADIMIRO

Nel compiersi ora il 950^o anniversario della conversione di S. Vladimiro, i due Collegi Pontifici, Ruteno di S. Giosafatte e Russo di S. Teresa del Bambino Gesù, hanno deliberato di tenere a Roma solenni funzioni commemorative del fausto avvenimento, funzioni che, iniziandosi con un triduo nella ven. Chiesa del Gesù, avranno il massimo splendore con un solenne Pontificale in rito bizantino-slavo, da celebrarsi, per benigna concessione del Santo Padre, nella Patriarcale Basilica Vaticana.

Sua Santità ha voluto, inoltre, dare una ancor più tangibile prova del suo compiacimento per si felice commemorazione, indirizzando la seguente Lettera Pontificia a Sua Eminenza il Signor Cardinale Eugenio Tisserant, Segretario della S. Congregazione Pro Ecclesia Orientali:

Dilecto Filio Nostro Eugenio Tit. Sanctorum Viti Modesti et Crescentiae S. R. E. Presbytero Cardinali Tisserant Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Secretario.

PIUS PP. XII.

Dilecte Fili Noster,
salutem et Apostolicam Benedictionem.
Singulare animi delectatione excepimus abs te, Dilecte Fili

Noster, qui in Consilio Romanae Curiae pro Ecclesia Orientali moderando sollicitam Nobis operam navas, duo Pontificia Collegia, Ruthenum Sancti Iosaphat et Russicum Sanctae Teresiae ab Infante Iesu, consilium iniisse sollemniter heic Romae commemorandi nongentesimum quinquagesimum annum, ex quo Sanctus Vladimirus eiusque populus sacro sunt baptimate abluti. Hoc quidem perlato nuntio, non modo Nos triduanas supplicationes in ecclesia sacratissimo Nomini Iesu dicata habendas probavimus, verum etiam censuimus die dominica, huius mensis vigesima prima, Pontificale Sacrum ritu byzantino-slavico in Patriarcali Basilica Vaticana peragendum, ita ut Nostra participatio huius eventus, qui selectae Christi gregis parti tanta exstat gloriae, propior quodammodo luculentiorque efficiatur. Et sane, memoria fere millenaria baptismatis Sancti Vladimiri eiusque populi vividos in Nobis excitat sensus gratissimi animi erga misericordem Deum, tanti beneficii auctorem, ac votae venerationis erga generosas animas, quae illud impetrarunt. Quot profecto fidei testimonia exorta sunt felici illo temporis momento! Quam fervidae caritatis flammae exarserunt eodem die, qui ad multorum salutem auspicio illuxit! Exinde equidem clarissime enituit, ubi Christi doctrina innotescat hominibus eorumque vitae moderetur, ibi temporales quoque humani convictus condiciones miro ordine temperari, singulosque mortales altius percipere filiorum Dei dignitatem prudentioreque consilio iustitiae et pacis vias rationesque inventire! Revocare enimvero Sanctum Vladimirum, principem populi sui praeclarissimum, est potissimum revocare gratiae supernaturalis ardorem, quo excanduit eiusdem animus, quando ipse est ex aqua et Spiritu Sancto regeneratus. Tunc profecto in eo re-floruerunt frugifera vitae germina, quae quondam puero Sancta Olga avia prudenter inseruerat; tunc vir antea tam ferus, tam rufus, ne dicamus asperum saevumque, est humanitate quadam exultus, idemque, non caducae cupidus gloriae, inter subditos, adhuc in umbra mortis sedentes, Regni Christi adventum promovere feliciter coepit. Inde autem tantus decor provenit eius genti, quae decursu saeculorum fidelis exstitit Iesu Christo, cuius verba vitae est luculenter testificata. Quemadmodum vero oblivisci nequimus, Dilecte Fili Noster, Sanctum Vladimirum frequentes cum

Apostolica hac sede habuisse rationes eidemque plura filialis devotionis constantisque amicitiae documenta detulisse, ita silentia praeterire non possumus fidelitatem Cathedrae Petri exhibtam sanguinisque effusione comprobatam a catholicis ritus byzantini hominibus, quorum conferta agmina in Europa Orientali vel in utraque America notabilem Christi Ecclesiae partem constituunt. Has quidem memorias gratissimas revocantes, proximam iucundi eventus faustitatem perlibenter hisce Litteris participamus. Attamen, praesentem rei christianaे apud Russos conditio nem intuentes, non sine animi angore et sollicitudine lamentari cogimur, fidelem populum, a Sancto Vladimiro eiusque laudibus originem veterem repetentem, iam diu graviter perpeti ex catholicā fide iniuste proculata, ex infando bello in sanctissimum Dei nomen indicto, ex vi haud raro cruenta in eos allata, qui Christum, Dei Filium Unigenitum, confitentur. Itaque supplici instantique animo precationem fundimus Nostram ad suavissimam Deiparam, quam populis ille tantopere veneratur ac diligit, ut benigne inspirare velit publicae rei moderatoribus verae sensus iustitiae, quae nisi regatur a Deo, cui subiecta sunt omnia, vana est atque irrita, simulque desolatis filiis impetrare, ut quam primum christianaē fidei libertate, mirifico Altissimi dono, rursus perfrui queant. Ipse autem Decessor Noster fel. rec. Pius XI alumnos Collegii Ruthenici a Sancto Iosaphat, die XXI mensis Septembris, praeterito anno in Arce Gandulphii allocutus, de iucunda anniversaria memoria verba iam habere dignatus est; quae nunc verba Ipsi Nostra facientes, tibi committimus, Dilecte Fili Noster, ut una cum gratulatione exhortationeque paterna amplissimam Benedictionem Apostolicam deferas omnibus iis, qui ritus byzantini-slavici vel aliorum rituum tecum in unum convenient, ut concordibus precibus mutuaque effusa caritate, quod est vinculum perfectionis, nongentesimum quinquagesimum annum concelebrent, ex quo Sanctus Vladimirus eiusque populus salutari sunt renati lavacro.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis Maii, anno MDCCCCXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP XII.

LA CELEBRATIONE DEL 950^o ANNIVERSARIO DELLA CONVERSIONE DI S. VLADIMIRO AL CRISTIANESIMO

Con la giornata di ieri si sono concluse le solenni celebrazioni romane del 950^o anniversario del Battesimo di S. Vladimiro e del suo popolo, svoltesi fra il fervido concorso della cittadinanza, sotto gli auspici della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale, che aveva autorevolmente approvato l'iniziativa dei Pontifici Collegi Ruteno e Russo.

Nella ven. Chiesa del Gesù alle ore 8, il Rev.mo P. Vladimiro Ledochowski, Preposito Generale della Compagnia di Gesù, ha celebrato la S. Messa alla presenza di numerosissimi fedeli.

Particolare, entusiastica adesione ha trovato la celebrazione della Liturgia Pontificale in rito bizantino-slavo all'altare della Cattedra nella Basilica di San Pietro. Alle ore 11, quando ebbe inizio il sacro rito, una vera folla si stipava nel vasto spazio dell'abside e intorno all'Altare della Confessione. In corteo, scortato dai Gendarmi Pontifici, giunsero, con le rispettive corti, gli Em.mi Cardinali Tedeschini, Datario di Sua Santità e Arciprete della Patriarcale Basilica Vaticana, e Tappouni, Patriarca Siro d'Antiochia, che presero posto „a cornu Evangelii“ Dall'altro lato, assistevano S. E. Mons. Cesarin, Assessore della S. Congregazione per la Chiesa Orientale, con il Sostituto Mons. Rosso e con l'Ecc.mo Mons. Margotti, Arcivescovo di Gorizia e già Segretario della Pont. Commisione per la Russia; e S. E. Mons. Giuseppe Malouf, Vescovo di Eliopoli de' Melchiti, con l'Archimandrita Alouf, Vicario Patriarcale di Alessandria d'Egitto, in rappresentanza del Patriarca Melchita Cirillo Mogabgab. Fra i numerosi presenti notammo le LL. EE. Mons. Pisani, Der Abraamian, Milone, Vescovo di Alessandria, Kedigian, il P. Ledochowski, Generale dei Gesuiti, il P. Tkacuk, Generale dei Basiliani di San Giosafat, i Rettori dei Collegi Orientali, parecchi Officiali della S. Congregazione per la Chiesa Orientale, vari seminaristi dei diversi Collegi Pontifici e quasi al completo la colonia russa in Roma, nella quale notammo anche Venceslao Ivanoff. Il coro, composto degli alunni dei Collegi Ruteno e Russo, accom-

pagnò sotto la direzione del Maestro T. Butkiewich con i bellissimi canti liturgici tutto lo svolgimento del solennissimo Pontificale celebrato da S. E. Mons. Evreinoff, Vescovo tit. di Ponia e Ordinante di rito bizantino in Roma, con la concelebrazione del Canonico Giuseppe Slipyi, Decano del Capitolo di Leopoli de' Ruteni e Rettore dell'Accademia Teologica, del P. Clemente Szepetyckyj, Protoigumeno degli Studiti, del P. Giosafat Labaj, Rettore del Pont. Collegio Ruteno, del P. Filippo de Régis, Rettore del Pont. Collegio Russo, del P. Cirillo Korolevski e del P. Vittorio Novikoff S. J. La funzione, svoltasi con mirabile ordine, fu trasmessa della Stazione Radio Vaticana — con annunciatori in cinque lungue — e ritrasmessa dall'Eiar. Essa ebbe termine intorno alle ore 13, fra la commozione di tutti i presenti: particolare rilievo ebbe la S. Comunione di alcuni fedeli durante il sacro rito e l'evidente consolazione dei russi presenti, nostalgicamente memori della loro terra desolata, si diffuse fraternamente a tutti gli altri astanti.

La sera, poi, alle ore 18,30, al Gesù, gremito come rare volte, l'Em.mo Card. Pellegrinetti tenne in suo atteso discorso. Fu una mirabile sintesi storica delle vicende cristiane della Russia, che tenne avvinto l'uditario per oltre un'ora: l'Em.mo Oratore recò, nella sua magnifica rievocazione, detta con eloquenza facilissima e semplice, un'onda di profonda commozione, paragonando le sorti attuali della Russia alle sue origini cristiane e testimoniando le continue sollecitudini dei Pontefici per quel grande popolo, sollecitudini che per Pio XI il Cardinale Pellegrinetti conobbe da vicino nella sua permanenza alla Nunziatura di Varsavia. Discorso ha suscitato fra gli ascoltatori un vero entusiasmo unanime.

Seguì il canto del *Te Deum* e la Benedizione Eucaristica impartita dall'Em.mo Cardinale Marmaggi, con l'assistenza degli alunni del Pont. Seminario Romano Maggiore.

(Osserv. Rom., No 118 et 121.)

In deposito Academiae Velehradensis adhuc supersunt:

Slavorum litterae theologicae:

Conspectus periodicus, Pragae. (Incomplete!)

Tom. I. 1905

Tom. III. 1907

Tom. V. 1909

Tom. II. 1906

Tom. IV. 1908

Tom. VI. 1910

Acta Academiae Velehradensis:

(Incomplete.)

Tom. VII. 1911 fasc. 1. – 2., fasc. 3., fasc. 4. 20 C.

Tom. XI. 1920 – 1922, 15 C

Tom. VIII. 1912 1. – 3. fasc. 10 C.

Tom. XII. 1. – 2., 1932

Tom. IX. 1913 1. – 2. 5 C.

Tom. XII. 3. – 4., 1934.

Tom. X. 1914 – 1919. 30 C.

Acta Conventus Velehradensis:

Acta I. Conventus Velehradensis. 10 C.

Acta IV. Conventus Velehradensis, 40 C.

Acta II. Conventus Velehradensis. 10 C.

(leg. 50 C.)

Acta III. Conventus Velehradensis. 15 C.

Acta V. Conventus Velehradensis, 50 C

Acta VI. Conventus Velehradensis. 50 C.

Opera Academiae Velehradensis:

Tom. II. *Konstantinus-Cyrillus und Methodius, Die Slavenapostel* von Fr. Snopk, Kremsier 1911. 30 C.

Tom. III. *Nomenclator (incompletus).*

Tom. IV. *Acta conventus Velehrad.* III. uti supra.

Tom. V. *Die Slavenapostel*, Kritische Studien von Dr. Franz Snopk, Kremsier 1918. 30 C.

Tom. VI. Trudy. *Acta Conventuum Velehradensium in lingua russica.* 10 C.

Tom. VII. Popov, *Katechismus (germanice).* 5 C.

Tom. VIII. Vladimír Sergijevič Solovjev, *jeho život a působení* od K. Jindřicha. 5 C.

Tom. IX. Dr. Fr. Grivec, *Pravoslaví*, ze slovinského rukopisu přeložil Martin Chudoba, Kroměříž 1921. 5 C.

Tom. X. *Byzantinské pojímání církevního prvenství s dodatkem o pravověrnosti svatého Cyrila a Metoda* od Fr. Grivce, univ. prof., přel. Martin Chudoba, Kroměříž 1922 (exhaustum.)

Tom. XI. *Acta V. Conventus Velehradensis* 1927. 50 C. (2 Dol. am.)

Tom. XII. Dr. Grivec, *Die hl. Slavenapostel Cyrilus und Methodius.*

Tom. XIII. Dr. Bonifác Segeta, *Církev východní a západní. Z jazyka řeckého český překlad.* 25 C. (Socii A. V. 16 C.)

Tom. XIV. *Acta cursus Pragensis* 1930. Preium 38 C.

Tom. XV. Rudolf Hurt, *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě* 1934. 60 C.

Tom. XVI. Dr. Vincenc Pořízka, *Solovjev a Církev.* 1935. 15 C.

Tom. XVII. Dr. Jos. Vajs, *Evangelium sv. Jana.* Text rekonstruovaný. 45 C.

Tom. XVIII. Dr. R. Hurt: *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě.* Díl II. 193 C

Academia Velehradensis Olomouc, Facultas theologica a.s. C. et M.

**ACTA
ACADEMIAE
VELEHRADENSIS**

**ANNUS XV.
FASC. 3.-4.**

OLOMUCII 1939

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS

Eduntur annuatim in quatuor fasciculis. Subnotatio pro anno 30 K, pro externis 40 K.

Redactores: Prof. dr. Jos. Vašica, msgre Frant. Jemelka, prof. dr. Jos. Matocha, collaborantibus professoribus Collegii theologicae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio, Olomucensis.

Redactio: *Olomouc, Úřednická 7.* – Administratio: *Olomouc, Theologica facultas a ss. Cyrillo et Methodio.*

Auxilium in edendis Actis promiserunt: Prof. dr. Franc. Grivec, Ljubljana; dr. Jos. Slipyj, rector Academiae Leopoliensis; prof. P. Sev. Salaville; prof. dr. M. Jugie; dr. Georgius Hofmann, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis Romae; prof. A. M. Ammann, S. J., prof. Pont. Inst. Orientalis; dr. Theophilus Spáčil, dr. Thomas Kurent, S. O. Cist., Stična, Jugoslavia; dr. Andreas Živković, prof. univ. Zagreb; dr. Rochus Rogošić, prof. theolog. Makarska; dr. Ignatius Świrski, prof. univ. Wilno; dr. Špurek, prof. theolog. Obořiště; dr. Ant. Salajka, Praga.

Contenta in fasc.: 3.-4.

	Pag.
P. G. Hofmann S. J., Documenta de theologis concilii Florentini Humanismus in concilio Florentino	181 193
Dr. Antonín Kleveta, Eschatologické představy Babyloňanů	212
Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C. ss. R., Impedimenta matrimonialia apud Bulgarios unitos	258
Recensiones: Dušpastyr (-a), Pravoslavnyj puť (-a), Prioratus ordinis sti Benedicti (-a), Nova organisatio ecclesiae orthodoxae, Ivan Marianov, Aby všichni jedno byli (-a), Dr. Fr. Cinek, Basilika velehradská (-a), Hausherr Irénée S. J., Jean le Solitaire, Dialogue sur l'âme et les passions des hommes (-mj-), Alois Musil, Křesťanské církve nynějšího orientu (-mj-), Prof. dr. A. Michel, Amalfi und Jerusalem im griechischen Kirchenstrett (-mj-), Lud. Lerchner S. J., Institutiones Theologiae Dogmaticae (Cinek), Dr. Andrija Živković, Katoličko moralno bogoslovje (dr. Karlík), Aertnys-Damen, Theologia moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio Doct. Ecclesiae (dr. Karlík), L, Le Fur, Les Grands Problèmes du Droit (dr. Vašek), Dr. Neumann Augustin O. S. A., K dějinám husitství na Moravě (-mj-), Annalecta Bollandiana	306

Acta Academiae Velehradensis

Tomus XV.

A. D. 1939.

Fasc. 3/4.

REDACTIO ET ADMINISTRATIO: OLOMOUC, MORAVIA
THEOLOG. FACULTAS A SS. CYRILLO ET METHODIO

Num. ord. 612/39.

IMPRIMATUR

Olomucii, 1. XII. 1939.

† LEOPOLDUS, archiepiscopus Olomucen.

DOCUMENTA DE THEOLOGIS CONCILII FLORENTINI

P. Georgius Hofmann S. J.

(Continuatio.)

FANTINUS VALARESSO, archiepiscopus Cretensis. Vaticanus
Latinus 4163, 11^v; cf. *Bessarione* 29 (1913) 25.

Multae disputationes sollempniter factae fuerunt (Ferrariae) super diversis articulis praedictarum differentiarum, positis sex pro parte disputatoribus, qui in medio totius concilii consedebant, sex videlicet ex una parte et sex ex alia, sibi ad invicem facies conspicientes. Inter quos talis fuerat ordo constitutus, ut ex una parte una die unus proponeret et ex altera unus similiter responderet. Alia vero die unus de parte illa, quae responderat, proponebat, et aliis ex alia parte, quae prius proposuerat, respondebat, audiente et intelligente toto concilio. Interpres autem stabat in medio omnium referendo¹ cuncta in Graeco et in Latino sermone, quae a parte utraque dicebantur. Tres vero fideles notarii erant constituti pro qualibet parte, qui omnia gesta in Latino et Graeco fideliter conscribebant.

Nomina deputatorum Latinorum et Graecorum in sessionibus conciliaribus Ferrarensibus, qui in concilio locum particularem et functionem habebant, sunt ex testimoniis supra allatis nota. Aliunde scimus principales disputantes ex Latinis fuisse Iulianum Cesarini.

¹ reffendo Ms.

cardinalem, Andream Chrysoberges archiepiscopum Rhodiensem, Aloysium episcopum Foroliviensem. Graecos oratores fuisse Marcum Eugenikos et Bessarionem iam Syropulos notavit, et etiam ex historia concilii constat. Rarissime paucissima alii ex deputatis publice locuti sunt, unice Iohannes de Montenigro citatur.

3.

*De deputatis ad disputandum in sessionibus publicis Florentinis
inter 2. martii et 26. martii 1439.*

In octo sessionibus publicis concilii Florentini mense martii 1439 disputationes habitae sunt de themate processionis Spiritus Sancti a Patre **Filioque**. Remansit idem ordo deputationum Latinae et Graecae, quibus eadem personae¹ adscriptae fuerunt ac Ferrariae. Sed duo oratores fuerunt principaliter designati ex parte Latinorum Iohannes de Montenigro et ex parte Graecorum Marcus Eugenikos. Hoc ex toto decursu sessionum supradictarum elucet.² Intimas connexiones cum deputatione Latina Ambrosius Traversari generalis Camaldulensium habuit, qui etiam publice textus patristicos in sessionibus conciliaribus legit.

Sessiones publicas praecesserat die 26. februarii 1439 colloquium quadraginta deputatorum Latinorum praesidente Cesarino cardinali et quadraginta deputatorum Graecorum duce Iohanne VIII Palaeologo imperatore. Haec sessio tamen unice de ordine concilii id est de themate sessionum publicarum seligendo tractabat.

4.

*De deputatis in deliberationibus aprilii 1439, 6.—8. iunii 1439,
9.—20. iunii 1439.*

Sessiones publicae conciliares pro unione Graecorum cessaverunt inter 25. martii et 5. iulii 1439, sed non colloquia deputatorum.

Colloquia communia deputationis Latinae et Graecae habita sunt

¹ Attamen S. Antoninus in *Chronica* III (editio Lugdunensis 1587, pag. 530) annumeravit tantum quattuor deputatos Latinos, scilicet Andream archiepiscopum Rhodiensem, Aloysium episcopum Forliviensem, Ambrosium Traversari generalem Camaldulensium, Iohannem de Montenigro et hos deputatos Graecos, Bessarionem et Marcum Eugenikos metropolitas „et quidam alii”.

² cf. *Orientalia Christiana Periodica* 4 (1938) 157—188.

aprili 1439. Imperator byzantinus die 15. aprilis tribus cardinalibus et 17. aprilis Papae petitionem expressit, ut deni ex utraque parte de causa unionis tractarent. Post approbationem Papae commissio decem deputatorum Latinorum et decem delegatorum Graecorum erecta est. Latinae delegationi duo cardinales, Cesarini, Condulmer (?), duo archiepiscopi, duo abbates, duo „philosophi“ et duo sacerdotes adscripti fuerint; Graecae decem metropolitae, inter quos Antonius Heracleensis, Marcus Ephesinus, Isidorus Kioviensis, Dositheus Monembasiensis, Metrophanes Cyzicenus, Bessarion Nicaenus fuerunt.

PRAKTIKA 31 A, 972 A-B (cf. etiam 969 D).

Kαὶ οἱ μὲν λατῖνοι ἔξελέξαντο ἀπὸ τῶν καρδιναλίων δύο, ἀπὸ τῶν μητροπολιτῶν δύο, ἀπὸ τῶν ἀββάδων δύο, ἀπὸ τῶν φιλοσόφων δύο, καὶ ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων δύο.

Οἱ δὲ γραιῖκοὶ συνήχθησαν πάντες μητροπολῖται, οὓς ὥρισεν ὁ βασιλεὺς, ἔως τῶν δέκα.

b) SYROPULOS VIII, cap. 12 = CREYGHTON 234; Paris gr. 427, 155^v.

'Εξελέξατο δὲ τὸν Ἡρακλεῖας, τὸν Ἐφέσου, τὸν Ρωσίας, τὸν Μονεμβασίας, τὸν Τραπεζοῦντος, τὸν Κυζίκου, τὸν Νικαίας, καὶ ἐτέρους μέχρι τῶν δέκα. Καὶ ἀπῆλθε μετ' αὐτῶν εἰς τὸν πάπαν τέσσαρας ἢ πέντε συνελεύσεις.

Et Latini elegerunt ex cardinalibus duo, ex metropolitis duo, ex abbatibus duo, ex philosophis (doctoribus) duo, ex presbyteris duo.

Graeci vero convenerunt usque ad decem, omnes metropolitae, quos imperator voluerat.

Elegerat(imperator) Heracleensem, Ephesinum, Russiae (metropolitam), Monembasiensem, Trapezuntinum, Kyzicenum, Nicaenum, et alios usque ad compleendum numerum denarium. Et cum his venit ad Papam pro quattuor vel quinque congressibus.

Deputationes Latina et Graeca 17. aprilis 1439 constitutae, iuxta Syropulum¹ quattuor vel quinque congressus communes habebant, sed solum de duabus primis notitiis amplas² habemus. Tractabatur in eis de Processione Spiritus Sancti.

¹ Syropulos VIII. cap. 12 = Creyghton 234.

² Orientalia Christiana Periodica 4 (1938) 385—386.

Nova deputatio denorum Latinorum et Graecorum fuit decreta, postquam iam in synodis graecis mense maii, per actionem personalem Papae et eius delegatorum, scilicet cardinalium Cesarini, Condulmer, Capranica concordia in articulo de Processione Spiritus Sancti habita est. Deputatio, 5. iunii 1439 decisa, habuit hunc finem, ut articulum de Processione Spiritus Sancti redigeret. Nescimus omnia nomina delegatorum. Probabiliter inter deputatos Latinos fuerunt episcopus Fantinus Valaresso et Christophorus Garatoni, et magister Thomas Parentucelli de Sarzana; nam ipsos Papa in fine colloquiorum 8. iunii 1439 ad imperatorem misit, ut eum de successu felici concordiae in articulo de Processione Spiritus Sancti certiores faceret. Etiam Cesarini cardinalis, et theologus Iohannes de Montenigro, qui onus principale discussionum in sessionibus publicis conciliaribus de eodem articulo mense martio 1439 habuerat, probabiliter non defuerunt in deputatione redactionis huius articuli. Inter deputatos Graecos sine dubio Bessarion, Isidorus Kioviensis, Dorotheus Mitylinensis fuerunt. En testimonium, ex quo erectio huius deputationis elucet.

PRAKTIKA: MANSI 31 A, 1001 D-E.

ετάχθη, ἵνα τῷ σαββάτῳ τῷ πρωὶ ἐκλεγῶσιν ἀφ' ἐτέρων τῶν μερῶν ἀνὰ δέκα, δπως συγγράψωσι τὸν τέλειον τόμον καὶ δρον τῆς ἐνώσεως τῶν ἀγιωτάτων ἐκκλησιῶν.

Τῷ σαββάτῳ τοίνυν ἐπιγενομένου ἀπῆλθον οἱ ἐκλεγέντες δέκα τῶν ἡμετέρων, καὶ εὗρον συνηθροισισμένους τὸν καρδιναλίους, καὶ ἀπὸ τῶν ἐκκρίτων αὐτῶν δέκα.

Inter 9. et 20. iunii 1439 de quaestionibus¹ Primatus Pontificis Romani, de materia et forma SS. Eucharistiae, de Novissimis, de liceitate appositionis formulae Filioque ad Symbolum tractatum est modis variis colloquiorum. Deputationes Latinorum et Graecorum iam 9. iunii coram Papa sessionem habuerunt. Nunc numerus deputatorum fuit sat restrictus. Ex parte Graecorum erant solum

statutum est, ut sabbato mane ex ultra parte decem elegantur, ut tomum perfectum et definitionem unionis ecclesiarum sanctissimarum redigerent.

Sabbato ergo decem delecti ex nostris profecti sunt, et invenerunt cardinales congregatos, et ex deputatis eorum decem.

¹ cf. *Orientalia Christiana Periodica* 4 (1938) 396—407.

quattuor metropolitae Isidorus, Bessarion, Dorotheus Trapezuntinus, Dorotheus Mitylenensis. Sed delegatio Graeca nondum habuit potestatem synodi ad colloquia, sed solum responsa „privata“ dedit. Etiam tres metropolitae Isidorus, Bessarion, Dorotheus Mitylenensis, qui post mortem patriarchae Joseph II ad Papam 12. iunii 1439 venerant, iterum declaraverunt ad aliqua quaesita Papae se non habere facultatem synodi ad responsum publicum dandum. Expositiones theologorum Iohannis de Montenigro de Primatu et Iohannis de Torquemada coram Papa, imperatore byzantino, cardinali Cesarini, aliquibus metropolitis Graecis et aliquibus Latinis 16.—20. iunii 1439 non fuerunt occasio colloquiorum¹ delegationum Latinae et Graecae, exceptis duabus disputationibus, parva, nimirum in fine secundi sermonis Iohannis de Montenigro die 20. iunii 1439 inter aliquem metropolitam Graecum (Heracleensem?) et cardinalem Cesarini Andreamque Rhodiensem, et alia² quae immediate alterum sermonem Iohannis de Torquemada secuta est. Sed mox, 26. iunii, nova deputatio fuit constituta eodemque die colloquium commune deputatorum Latinorum et Graecorum habitum est.

5.

De deputatis pro deliberationibus 26. iunii 1439.

Ut difficultates aliquae circa doctrinam de Primatu Papae removerentur, deputatio senorum Latinorum et Graecorum imperatore byzantino hanc proponente fuit electa. Deputati Latini, cum approbatione Papae et concilii, fuerunt Cesarini cardinalis, episcopi Iohannes Morinensis (Teronanne) et Guillelmus Leonensis (León in Hispania), dominicani Iohannes de Montenigro et Iohannes de Torquemada, magister Thomas Parentucelli de Sarzana. Inter deputatos Graecos fuerunt quattuor metropolitae, Antonius Heracleensis, Isidorus Kioviensis, Bessarion Nicaenus, quartus probabiliter Dorotheus Mitylenensis, duo sacerdotes, probabiliter Xanthopoulos

¹ Inter Papam vero et imperatorem byzantinum, inter cardinales Condulmer, Capranica, aliasque patres (synodales Latinos) et imperatorem, praesente etiam Bessarione et loquente, fuerunt colloquia inter priorem et alterum sermonem Iohannis de Montenigro; cf. Giustiniani 296—298.

² Haec disputatione coepit ab „Arethensi“ (Heracleensi?) et postea continuata ab Isidoro Kioviensi; cf. Giustiniani 307—308.

et Balsamon. Cum Graecis imperator aderat. Exitus colloquiorum fuit felix.

SANTACROCE. Vatic. Lat. 4119, 149^v; GIUSTINIANI 309, et MANSI 31 B, 1680 D sunt corrigendi.

Die XXVI iunii rev.mis dominis cardinalibus et praelatis conventis in unum locum palatii et dominis imperatore et Graecis in alia aula eiusdem palatii, inter nostros coepit dominus cardinalis Flacentinus hoc modo :

Visum est domino nostro et imperatori ad hoc, ut negotium unionis Graecorum facilius expediatur, ut sint ex qualibet parte sex, qui una cum domino nostro et imperatore tractent rerum harum conclusionem, et si quae insurgerent difficultates, ut publice paternitatibus vestris refer[r]entur,¹ ut omnium sententia deleantur.

Quare videtur, ut deputati sex sint dominus Sanctae Sabinae, dominus Morinensis, dominus Legionensis, dominus provincialis Lombardiae, et dominus Iohannes de Turrecremata, et dominus Thomas de Sarzana.

ANDREAS. Quibus verbis expositis surrexerunt sex illi, et ad papam accesserunt, et dictum est aliis, ut expectarent cum caritate pacientiam suscipiendo.

Missusque extitit quidam, ut imperatori referret,² ut suos mitteret; qui illico sex suos destinavit, dominum videlicet Eracliensem, dominum archiepiscopum Russiae, dominum . . ., dominum Nicaenum, et duos presbyteros, qui et cameram Papae ad nostros ibidem deputatos ingressi sunt.

b) PRAKTIKA : MANSI 31 A, 1020 B.

Kαὶ τῇ παρασκευῇ³ ἐξελεξάμεθα ἀφ' ἡμῶν τέσσαρας, καὶ οἱ λατῖνοι ἄλλους τέσσαρας· Καὶ πάντων συναχθέντων ἐν τῷ παλατίῳ τοῦ πάπα, οἱ μὲν ἐκλεγέντες διελέγοντο ἐν τόπῳ τινὶ, ἡμεῖς δὲ ἐν τῷ τρικλίνῳ μετὰ τοῦ βασιλέως ἐκαθεξόμεθα.

Et feria sexta elegimus ex nostris quattuor, et Latinis alios quattuor; omnibusque congregatis in palatio Papae, deputati in loco quodam disputabant, nos vero in triclinio cum imperatore sedebamus.

¹ refferentur Ms.

² referret Ms.

³ die 26. iunii 1439; cf. notam chronologicam: Mansi 31 A, 1017 D—E.

Si testimonium in PRAKTIKA traditum consideratur, mirandum est, quod tantum quaterni deputatorum commemorantur. Praefenda omnino esse videtur notitia a SANTACROCE posita, qui non solum sicut PRAKTIKA generaliter deputationem describit, sed insuper nomina fere omnia deputatorum dat. Auctor operis PRAKTIKA probabiliter deceptus est, quod solum metropolitas (quattuor) Graecos indicat et ex parallelismo aequalem numerum Latinorum ponit.

6.

De deputatis pro redactione bullae unionis Graecorum.

Inter diem 28. iunii usque ad 4. iulii 1439 deputatio de redactione bullae unionis Graecorum sessiones mane et post meridiem in ecclesia S. Francisci (S. Croce, Firenze) habebat. Ad deputationem utriusque partis duodecim pertinebant. Latini secundum desiderium Papae quattuor deputatos ex unoquoque trium dictorum „statuum“ concilii eligebant. Inter hos certo Cesarini cardinalis, probabiliter etiam cardinales Condulmer et Capranica fuerunt; generalis Camaldulensium Ambrosius Traversari eximiam partem in redactione stilistica bullae habuit. Ex deputatis Graecorum Bessarion nominari potest. En textus.

a) SANTACROCE: GIUSTINIANI 313; MANSI 31 B: 1692 D—E; Vatic. Lat. 4119, 152^r — 152^v

Hora XX quilibet [in] suo statu convenit ac IIII deputavit quilibet qui cedularum¹ sententias in unam bullam redigerent, quibus electis² dissolutae sunt pro die illo conventiones statuum.

LUDOVICUS. Cur non servatum est, ut tanta non fieret interpositio temporis?

ANDREAS. Mens omnium fuerat, ut sine difficultate cuncta transirent, sed intervenerunt dies octo, singulis diebus nostris Graecisve deputatis bis convenientibus. Erant namque in verborum compositione differentiae. Sicque lapsi sunt tot dies. Demum convenerunt patres, praesente Summo Pontifice quarta iulii facta extitit generalis congregatio in palatio apostolico, ubi assistentibus cunctis

¹ cedularum Ms.

² electis Ms.

rev.mus cardinalis Sanctae Sabinae his verbis coepit patribus alloqui.¹

CARDINALIS. Parvam orationem facere oportet,² patres reverendi. A die, qua omnes convenistis, hodie est octavus dies. Fuerunt deputati IIII pro quolibet statu, qui deberent esse cum deputatis Graecorum pro formando decreto.³ Patres singulis diebus convenerunt, et de mane et de sero. Tandem hoc mane fuit lectum decretum⁴ in Sancto Francisco in Graeco et in Latino, et omnes deputati remanserunt contenti, ideo legatis.

PAPA. Legatis.

ANDREAS. Per dominum Tomam subdyaconum lectum decretum etc.

b) PRAKTIKA: MANSI 31 A, B—C.

Tῷ πρωὶ τοίνυν ἡλθον οἱ ἀποτεταγμένοι τῶν λατίνων, καὶ ἔλαβον τοὺς ἡλετέρους, καὶ ἀπῆλθον ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου Φραγκίσκου.

c) SYROPULOS IX, cap. 2, X, cap. 3 = CREYGHTON 281; Paris. gr. 427, 187^v

συνέθηκαν ἐκεῖνοι τὸν ὅρον καθὼς ἥθελον. Ἐγραψε δὲ αὐτὸν ὁ μοναχὸς Ἀμβρόσιος ὁ λατīνος. Ἐκεῖνος γὰρ ἦν τῆς ἑλληνικῆς παιδείας εἰδημονέστερος.

Ἡθέλησε δὲ ὁ Νικαίας μεταποιῆσαι λέξεις τινὰς πρὸς ἑλληνικωτέραν καλλιέπειαν. Συνήγοντο οὖν οἱ λογιώτεροι τῶν λατίνων, καὶ ἦν ἀν λέξιν ἔλεγεν ὁ Νικαίας, ἐξήταξον καὶ ἐσαφήνιζον αὐτὴν ὥραν πολλήν, ἐνίοτε καὶ μέχρι δύο ὥρῶν.

Mane ergo venerunt deputati Latinorum, et assumptis nostris in ecclesiam sancti Francisci venerunt.

composuerunt illi (Latini) definitionem (bullam unionis), sicut volebant. Redegit eam monachus Latinus Ambrosius. Hic enim in eruditione graeca excellebat.

Voluit autem Nicaenus aliquas phrases mutare, ut elegantia stili haberetur magis attica. Convene- runt ergo sapientiores Latinorum, et vocem, quam Nicaenus proponebant, inquirebant et illus- trabant per horam bonam, ali-

¹ aloqui Ms.

² oportet Ms.

³ decretto Ms.

⁴ decretum Ms

*Καὶ εἰ μὲν ἡρέσκοντο ἐπὶ τῇ λέξει
οἱ πρὸς τοῦτο ἐκλελεγμένοι λατῖ-
νοι, ἐτίθετο. Εἰ δέ τινι αὐτῶν ἀπή-
ρεσκε, ἡφίετο. Ἐγίνετο δὲ τοῦτο
ἐπὶ δέκα ἡμέρας, καὶ ἔγραψαν αὐ-
τόν, καθὼς δρᾶται.*

quando usque ad duas horas. Si deputatis Latinis vox (proposita) placebat, assumebatur. Si vero alicui eorum displicebat, dimittebatur (vox). Hoc ad dies decem factum est, et scripserunt definitionem, sicut (nunc) habetur (conspicitur).

7.

De deputatis pro unione Armenorum.

Papa Eugenius IV concilio consentiente pro discussionibus theologicis cum Armenis¹ theologos de tribus „statibus“ (scilicet 1. episcopis 2. abbatibus 3. praelatis ecclesiarum cathedralium) determinavit. Inter hos fuerunt tres cardinales Antonius Correr episcopus Ostiensis, Nicolaus Albergati, Julianus Cesarini, Iohannes de Montenegro² O. P., Thomas Parentucelli de Sarzana (papa futurus Nicolaus V), probaliter etiam Iacobus de Primadizi O. F. M., certo interpres Basilius O. F. M. Inter Armenos fuerunt Sereis (Sarehis) Vicarius Caphensis, Thomas, monachus Nerses. Discussiones coepitae sunt post 4. septembris 1439 et usque ad 8. novembris perdurabant. Unio ipsa 22. novembris promulgata est. Apponamus textus principales.

a) BULLA UNIONIS.

deputavimus de omni statu huius sacri concilii viros iuris divini et humani doctissimos, qui cum omni cura studioque et diligentia rem ipsam cum ipsis pertractarent oratoribus, ab eis inquirentes eorum fidem tam circa divinae unitatem essentiae et divinarum personarum trinitatem quam domini nostri Iesu Christi humanitatem et septem ecclesiae sacramenta et alia ad fidem orthodoxam et ritus universalis ecclesiae pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus et tractatibus postque non mediocrem testimoniorum inspectionem, quae e sanctis ecclesiae patribus et doctoribus de-

¹ cf. articulum in *Orientalia Christiana Periodica* 5 (1939) 151—185.

² cf. *Acta Academiae Velehradensis* 15 (1939) 65—73.

ducta sunt, et earum, de quibus agebatur, rerum discussionem tandem expedire indicavimus etc.

b) SANTACROCE.¹

Quibus literis (scilicet *Potestas oratorum Armenorum ab eorum patriarcha deputatorum* et *Litera regentis civitatem Cafae ad Summum Pontificem*) exhibitis sacrae synodo, rev.mis cardinalibus Ostiensi, Sanctae Crucis et Sanctae Sabinae ac doctoribus pluribus per Summum Pontificem, sacra approbante synodo, deputatis et incessanter quasi diebus singulis in apostolico palatio cum Armenis praefatis convenientibus, institutis sanctae Romanae Ecclesiae adeo instructi sunt oratores praefati etc.

8.

De deputatis pro unione Coptorum.

Blondus Flavius, secretarius Eugenii IV indicat tres cardinales, qui unionem cum Coptis praeparare debebant. Hi fuerunt Julianus Cesarini, Iohannes Moriscensis (Teronanne), Iohannes de Torquemada O. P. Theologis probabiliter adscriptus fuit etiam Albertus de Sarteano, qui legationem copticam et alteram aethiopicam ad concilium adduxerat, certo, secundum testimonium Vespasiani de Bisticci, Thomas Parentucelli de Sarzana. Coptorum patriarchae legatus fuit Andreas abbas S. Antonii (Aegypti). Nomine abbatis aethiopici Nicodemi locutus est Petrus diaconus, qui tamen unionem neque personaliter neque nomine abbatis, a fortiore non nomine imperatoris Aethiopiae, suscepisse videtur. Discussiones cum Coptis et Aethiopibus coptae sunt post 31. augusti 1441. Bulla unionis Coptorum est promulgata 4. februarii 1442.

a) BULLA UNIONIS COPTORUM.²

Nos igitur, quibus voce domini commissum est pascere oves Christi, ipsum Andream abbatem per nonnullos huius sacri concilii insignes viros, super articulis fidei et sacramentis Ecclesiae et qui busque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, et

¹ cf. Hofmann, *De unione Armenorum* (Textus et documenta. Series theologica. 19. Romae 1935) 19—20.

² Hofmann, *De unione Coptorum etc.* (Textus et documenta, Series theologica. 22. Romae 1936) 31.

tandem, quantum visum est fore necessarium, exposita eidem abbati etc.

b) FLAVIUS BLONDUS, *Historiarum ab inclinatione Romanorum. Quartae decadis liber secundus*, cap. 35 (Studi e testi, 48; editio NOGARA) 21—22.

Postquam summo honore deducti (delegati Coptorum patriarchae et abbatis aethiopici) sunt in hospitium oratores, placuit Pontifici et collegio eos diligentius accuratiusque interrogandos attribuere summis viris Iuliano Cesarinae gentis Romanae Sanctae Sabinae, Iohanni Gallico Morinensi et alteri Iohanni de Turrecremata Hispano presbyteris cardinalibus.

9.

De deputatis pro unione Syrorum.

Unionem Syrorum in concilio Florentino Romam translato promulgatam die 30. septembbris 1444 praecesserant discussiones deputatorum concilio cum legato patriarchae Syrorum Ignatii, Abdala archiepiscopo Edessae. Hoc ex testimonio sequenti scimus.

BULLA UNIONIS SYRORUM.¹

quosdam ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus delegimus, qui accersitis ex hoc sacro concilio aliquibus in sacra pagina magistris, cum praedicto archiepiscopo (Abdala) de difficultatibus, dubiis et erroribus illius nationis conferrent illumque examinarent ac ei catholicae veritatis disciplinam aperirent, et tandem de integritate fidei Ecclesiae Romanae plene illum instruerent et docerent.

Alia testimonia, quibus certi redderemur de nominibus cardinalium et theologorum in textu allato solum generaliter indicatorum, proh dolor non habemus. Inter cardinales certe non fuit Cesarini, quippe qui iam 10. novembbris 1444 in pugna Varnensi (Bulgariae) mortuus fuerat. Probabiliter Iohannes de Torquemada deputationi Latinorum adscriptus fuit, et Antonius Troianus O. F. M., qui proxime unionem Syrorum praeparaverat² iam in Oriente et legationem Syrorum Romam probabiliter adduxit.

¹ Hofmann, *De unione Coptorum, Syrorum etc.*, pag. 48.

² Wadding XI³ 188.

De deputatione aliqua in unione¹ Chaldaeorum Maronitarumque Cypri die 7. augusti 1445 promulgata nihil constat. Immo contrarium videtur posse affirmari, cum iuxta tenorem bullae unionis iam in ecclesia metropolita S. Sophiae, Nicosiae, Chaldaei Maronitaeque coram legato pontificio Andrea Rhodiensi archiepiscopo O. P. professionem fidei catholicae emiserint, et deinde legationem ad concilium miserint. Andreas Rhodiensis, nobis iam notus ex deputationibus concilii Florentini quoad unionem Graecorum, 18. septembris 143 a Papa in Orientem minus fuerat.

Theologi servitia eximia Papae pro unione Orientalium in concilio Florentino peregerunt. Nescimus omnia nomina eorum. Sed certum est praeter theologos adscriptos deputationibus commissionum Concilii Florentini fuisse alios non paucos, sive fuerint insigniti ordine episcopali vel alia dignitate ecclesiastica sive collocati in numero abbatum et procuratorum ordinum sive denique simpliciter socii theologorum eximiorum effecti vel in aliis servitiis curiae pontificiae exhibiti fuerint. Scimus e. gr. tenorem Brevium pontificorum,² quibus Magister Generalis O. P. et Minister Generalis O. F. M. 23. septembris 1437 mandatum accipiunt, mittendi, ad concilium duodecim socios eosque magistros. Etiam generalibus Hieronymitanorum, Carmelitarum, Humiliatorum, Servorum B. Mariae Virginis, Camaldulensium eodem tempore praecipitur, ut secum ducant ad concilium „alios insignes viros deum timentes“. Praecepta papae non fuisse inania, non obstante positione critica Ecclesiae propter oppositionem synodi Basiliensis, historia concilii Florentini nos docet. Nam iam ex subscriptionibus bullarum unionis Orientalium non pauca nomina Religiosorum ordinum variorum comperimus.

¹ Hofmann. *De unione Coptorum, Syrorum, Chaldaeorum Maronitarumque Cypri*, pag. 50—54.

² Eugenio Cecconi. *Studi storici sul concilio di Firenze*. I (Firenze 1869), doc. n. 161, pag. 434.

HUMANISMUS IN CONCILIO FLORENTINO

SERMO COMMEMORATIVUS¹ CONCILII
FLORENTINI

P. Georgius Hofmann S. J.

Studium et amor antiquitatis classicae sunt humanismi² fundamenta. Si hic a recta ratione et fide christiana regitur, floret humanismus christianus. Si errores et mores lascivi paganorum ab amicis litterarum et artium aetatis classicae assumuntur, viget humanismus sive renascentia paganismo vitiata et splendore licentiae propagatur in vita privata, in vita familiari, in vita publica.

Non defuerunt quidem in Concilio Florentino amici et sequaces humanismi neopagani. In mentem vestram revoco nomina laicorum Gemistos Plethon, Poggio, Lionardi Bruno. Etiam cardinalis Guillaume d'Estouteville, cuius nomen in bullis unionis Graecorum, Armenorum, Coptorum signatum est, spiritui mundano renascentiae indulxit.³

Praevaluit tamen omnino apud doctos viros, qui Concilio Florentino interfuerunt, humanismus christianus. Huius humanitatis cultores invenimus inter cardinales, inter episcopos, inter theologos sive cleri saecularis sive cleri religiosi, inter laicos. Apud istos principia sana S. Augustini in Civitate Dei et S. Basili in celebri epistola ad iuvenes tradita stellae directrices fuere.

Vobis ostendere volo influxum humanismi christiani in Concilium Florentinum. Sed prius vobis aliquos insignes homines praesentabo, qui tum in humanismi christiani cultu tum in causa unitatis ecclesiasticae promovendae fuerunt duces.

¹ Hic sermo pro congressu Velehradensi praeparatus est. — Gratias ago P. Schultze S. I. et P. Herman S. I. praesidi, qui magna caritate me adiuverunt.

² De aliis elementis humanismi cf. articulum in *Lexikon für Theologie und Kirche*. V. 189—192: Humanismus (L. Mohler).

³ Ludwig von Pastor, *Geschichte der Päpste* I.² Freiburg i. Br. a. 1901. 355—356.

I.

Amici humanismi christiani.

Hi sunt cardinales Albergati, Cesari, Bessarion, Isidorus Kiovensis, hi sunt theologi Ambrosius Traversari, Thomas Parentucelli.

Potui etiam alios nominare, scilicet cardinales Giordano Orsini, Antonio Correr, Branda da Castiglione, Domenico Capranica, Prospero Colonna, Gerardo Landriani, Nicolaus von Cusa. Hi omnes sunt noti ut collectores codicum classicorum, quos bibliothecis ecclesiasticis omnes fere donaverunt. Iis merito adiungitur Iohannes de Torquennada.

Potui alia nomina indicare, episcoporum Andreae Chrysoberges, Fantini Valaresso, Aloysii Foroliviensis, Andreae d'Escobar, theologi Alberti de Sarteano et laici adhuc graeci Georgii Scholarios, qui postea factus est patriarcha Constantinopolitanus.

Sed vobis certe magis placebit, audire pauca tractata quam multa attincta.

Praesidens Concilii Florentini usque ad adventum Papae Eugenii IV Ferrariam fuit Beatus NICOLAUS ALBERGATI, ex ordine Camaldulensium, Cardinalis Sanctae Romanae Ecclesiae. Septembri 1438 ex urbe Ferrarensi fuit missus ad congressum principum Germaniae Norimbergensem,¹ ut iura Sanctae Sedis ibi defendere et pacem procuraret inter regem Romanorum Albertum Austriae et Wladislaum Poloniae regem de regno Bohemiae certantes. In servitio Beati non pauci cultores humanismi fuerunt, Aeneas Silvius Piccolomini, Petrus da Noceto, Albertus et Leo Baptista Alberti, et maxime Thomas Parentucelli. Amicitiae vinculo cardinalis cum Ambrosio Traversario generali Camaldulensium et Nicolao da Cortona, priore Certosa di Monte Acuto iungebatur. Etiam ad alios humanismi cultores caritas benefica Beati se extendit, ad Giacomo Zeno episcopum futurum Bellunensem et Paduanum, ad Giannozzo Mannetti, Rinaldi degli Albizi, Vespasiano da Bisticci, immo ad Poggio et Filelfo. In eius elogio funebri, a secretario pontificio Poggio in

¹ Paolo de Töth, *Il beato cardinale Nicolo Albergati e i suoi tempi.* II. Acquappendente (Viterbo) 1934. 450—451.

praesentia Papae Eugenii IV recitato in urbe Senensi, haec de Beati studiis litterarum dicuntur:¹

Cum quid otii ab oratione et negotiis publicis superesset, humanioribus quoque studiis tantam operam dedit, quantum sacram litterarum dignitas patiebatur. In eius vita, a Iacobo Zeno episcopo scripta, haec narrantur:²

doctos viros, virtutibus deditos, magno amore prosequebatur, egenisque et inopibus clericis opem plurimam ad litterarum studia conferebat . . . librorum copiosus fuit, quos fere omnes in morte sacris locis monasteriisque legavit.

Ita Albergati ut protector humanismi et humanistarum iure meritoque designari potest.

Secundus cardinalis, qui memorari debet, est is, qui quondam tamquam legatus Papae in has regiones temporibus turbulentissimis missus fuit, IULIANUS CESARINI. Hic in concilio Florentino maxima merita pro causa unitatis ecclesiarum acquisivit. Quo animo affectus fuerit erga studia humaniora, ostendunt verba, quibus Isidorum metropolitam futurum Kioviensem et cardinalem in concilio Basiliensi anno 1434 salutavit:³

liberalium artium aliarumque scientiarum studia, quae in illa patria quondam copiosissime florebant, nunc penitus defuisse videntur, et ubi seminarium olim litterarum erat et omnis eloquentiae et sapientiae fons, quid modo supersit, vos melius nostis.

Cardinalis ruinam altiorum studiorum et artium apud Graecos suorum temporum schismate fuisse causatam putavit, novumque florem litterarum secuturam esse unitatem ecclesiarum restitutam speravit. Cesarini ante mentem habuit traditionem ecclesiae Ro-

¹ De Töth II, appendix pag. XII.

² De Töth II, appendix pag. XXIX—XXX.

³ Eugenio Cecconi, *Studi storici sul concilio di Firenze*. I. Firenze a. 1869. 78. — Alia exempla humanismi cardinalis Cesarini cf. apud Pastor I. 264. Bene hic auctor dixit: In dem Charakterbild Cesarinis würde ein wesentlicher Zug fehlen, wenn nicht seines Verhältnisses zum Humanismus gedacht würde.

manae, quae tot merita in promovendis studiis altioribus humanitatis sibi acquisivit.

Placet mihi, hac occasione, qua loquor apud sedem litterarum humanitatis, Pontificium Collegium Velehradense, in mentem revocare, quae Papa Clemens VI in institutione universitatis Pragensis (1347) scripsit:¹

Considerantes eximiam devotionis et fidei puritatem, quam tam ipse Carolus et praedecessores sui Bohemiae reges quam eiusdem regni incolae ad sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, ac ipse Carolus rex et incolae gerere dignoscitur, ferventi desiderio ducimur, ut regnum ipsum, quod divina bonitas multitudine populi rerumque copia praedotavit, fiat litterarum fertilitate fuscundum.

Tertius cardinalis est BESSARION quondam metropolita Nicaeus, qui simul cum cardinali Cesarini textum bullae unionis in cathedrali Florentina 6. iulii 1439 recitavit, hic in lingua graeca, alter immediate ante eum in lingua latina.

Non est vobis multum exponendum, qualem locum Bessarion inter humanistas habuerit. Collectionem omnium maximam codicum graecorum in Italia fundavit eamque reipublicae Venetae donavit, cum approbatione Papae Pauli II. Fuerunt 482 codices,² inter quos non defuerunt auctores classici, sicut Dioscurides, Ptolemaeus, Demosthenes, Aristoteles, Plato, Homerus, Sophocles, Euripides etc. Praeter manuscripta graeca cardinalis Venetis 264 codices latinos dono reliquit, opera classicorum latinorum e. gr. Vergilii, Titi Livii, Ciceronis, Patrum Latinorum Doctorumque Ecclesiae, scilicet S. Augustini, S. Ambrosii, S. Hieronymi, S. Bernardi, S. Thomae Aquinatis, S. Bonaventurae, S. Alberti Magni.

Bessarionem multum contulisse ad cognitionem philosophie Platonis in Occidente diffundendam constat. Recenter professor Mohler opus Bessarionis *In calumnationem Platonis* in lucem edidit.

Bibliotheca Vaticana non paucos codices ab ISIDORO KIOVIENSI

¹ *Bullarium Romanum*. Editio Taurinensis IV (1859) 496.

² *Henri Omont, Inventaire des manuscrits grecs et latins donnés à Saint-Marc de Venise par le Cardinal Bessarion en 1468*. Paris 1894. 21 sqq.

scriptos vel consultos possidet. Audivistis de libro cardinalis Ioannis Mercati: *Scritti d' Isidoro il cardinale ruteno.*¹ In hoc opere invenietis non pauca manuscripta classicorum indicata, Aristotelem eiusque explicationem a Georgio Pachymere factam, Plutarchum, Strabonem, Demosthenem, Platonem, Homerum etc., versiones graecas Soliloquiorum S. Augustini et Boetii, *De consolatione philosophiae* factas a Demetrio Cidone, sicut versiones operum S. Thomae Aquinatis, Summae contra gentiles, Summae theologicae.

IN AMBROSIO TRAVERSARI generali Camaldulensem quid admirandum magis sit sub respectu humanismi christiani, est difficile dicere. Utrum eius consuetudinem cum doctis viris sua aetatis an eius familiaritatem cum libris auctorum graecorum sacrorum et profanorum, quos in linguam latinam vertit, an eius facilitatem colligendi florilegia Patrum ad usum disputationum in concilio Florentino? Ad unam notam characteristicam huius doctissimi viri, quae generatim in libris tacetur, aliquantulum vestram mentem dirigere mihi liceat. Camaldulensis habuit gustum contemplandi monumenta antiquitatis. Audiatis, quid de urbe aeterna dixerit:

Basilicas² Romanae urbis orationis gratia et affectu veneracionis adivimus. Mirari satis non poteramus ruinas ingentes; vasta dudum aedificia, nunc diruta, columnarum moles, marmoris et variii lapidis crustas.

In epistola ad Hieronymum fratrem:³

Recreat quidem hunc dolorem meum sacrarum aedium sacra visitatio, quae solae ex omni antiquitate integrae durant et redolent priscam sanctitatem. In quibus vestri quoque memoriam facio, ut debeo semper. Urbem certe, dum peragro, stupore detineor intuens partim ruinarum moles incredibiles ferme, partim proiectas pretiosi marmoris crustas. Nusquam enim transire da-

¹ In *Studi e testi* 46 (1926). Confer etiam Adolf Ziegler, Die Union des Konzils von Florenz in der russischen Kirche, in collectione: *Das östliche Christentum*. Heft 4—5. Würzburg 1938.

² *Hodoeporicon*. Editio nova. In appendice operis: Alessandro Dini-Traversari, *Ambrogio Traversari e i suoi tempi*. Firenze 1912. 28.

³ Martène, *Veterum scriptorum et monumentorum . . . collectio III*. Parisiis 1724. 241.; cf. etiam editionem Mehus.

tur, quin occurat oculis vel sculptura antiquae artis, aut parieti vice lapidis vilis ac singularis inlecta, aut humi iacens. Columnarum item fragmenta fere perpetua, partim marmorea, partim porphyretica humi constrata intueri licet. Plures integrae vilissimos sustinent porticus. Ita, dum antiqua illa atque inclita Roma venit in mentem, ingens datur mortalis imbecillitatis et inconstitiae documentum.

Forsitan adhuc profundiores impressiones Traversari accepit a monumentis Ravennae quondam byzantinae. Audiatis quaeso, quid scripserit¹ de hac re ad Cosimum de Medici.

Veni Ravennam VII decembris, nec prius institutum opus pergere volui, quam templa vetustissima et digna profecto miraculo cernerem, praecipueque maiorem ecclesiam . . . Discessi tunc inspecto prius templo dignissimo, altariaque argentea columnis argenteis quinque suffulta, cum ipso quoque ciborio argenteo. Neque hac magnificentia contenta, prominentia quoque circum altare capitella marmorea, quae ad ornatum templi sunt, argento vestivit, antiquitas maximaque ex parte durant. Fateor, ne Romae quidem, pulchriores sacras aedes vidi. Columnae ingenes ex marmore suo stant ordine. Interiora aedium maxime contegunt marmoris discoloris, et porphyretici lapidis tabulae. Musivum opus nusquam fere pulchrius vidi.

Baptisterium iuxta maiorem ecclesiam ornatissimum inspexi.

Transivi ad spectandum mirificum et magnificentissimum sancti Vitalis martyris templum rotundum. Id quidem et omni genere superioris ornatus insigne, musivo, columnis cingentibus ambitum fani, marmoreis crustis parietem interius vestientibus. Sed habet suspensum columnisque suffultum peripatum et aram ex alabastro tam lucidam, ut speculi instar imagines referat.

Sacellum fano propinquum Placidae Augustae et Valentiniani senioris sepulchra magnifica servat ex marmore candido. Tantam illic musivi operis speciem offendit, ut accedere nihil posse videatur.

Contendi ad visendum sancti Iohannis evangelistae templum

¹ Martène III, 448—449.

speciosissimum, et quod a memorata Placida et Theodosio augustinis constructum incisae marmore graecae litterae testantur.

Transivi ad contuendum Classense monasterium nostrum, tribus fere millibus ab urbe remotum, et flere uberrime ruinas ingentes coactus sum. Ecclesia tamen integra durat, omnique ornatu conspicua. Pinicam silvam octo ferme millibus passuum se porrigentem, iuris nostri et visere et adequitare libuit, dum ad monasterium, quod S. Mariae in Portico dicitur, et ipsum permagnificum dignumque miraculo veniremus. Ubique libros desideravi.

Ultimo de THOMA PARENTUCELLI quid dicam? Hic fuit membrum deputationis latinae, quae cum deputatione graeca redactionem bullae unionis graecorum praeparavit. Hic fuit, qui coram Papa Eugenio IV et synodalibus latinis 4. iulii textum bullae iam concorditer redactum in Palatio Apostolico, scilicet iuxta ecclesiam S. Maria Novella recitavit. Hic fuit, qui sub nomine Nicolai V cathedram S. Petri post mortem Eugenii IV ascendit. Hic fuit, sub quo renascientia christiana thronum pontificalem occupasse dicitur. Hic fuit, qui Bibliothecam Vaticanam fundavit, monumentum insigne humanismi christiani.

II.

Manifestationes humanismi christiani in Concilio Florentino.

Forsitan iam nimis longo tempore vos retinui in humanismo aliquantum describendo aliquorum hominum illustrium Concilii Florentini. Sed esse utile duxi ita faciendum, etiam ex hac ratione, ut clarius appareat humanismum christianum non se restringere ad formas externas linguarum classicarum imitandas, sed assumere ex thesauris antiquitatis classicae elementa utilia eaque spiritu christiano purificare, perficere et transformare ad aedificium novae culturae exstruendum. Etiam hoc vobis adhuc magis ex sequentibus patebit amicos humanismi christiani temporibus concilii Florentini non neglexisse continuatores disciplinarum antiquitatis, scilicet Patres et Doctores Ecclesiae et Summos Pontifices.

Nunc conabor vobis ostendere varias relationes, quae inter humanismum christianum et Concilium Florentinum viguerunt; divisionem aliquam systematicam sequor, sed exemplis concretis expositionem aliquando aridam reddere studeo magis amoenam vobis.

1.

Receptiones solemnes Venetiis, Ferrariae, Florentiae.

Scitis imperatorem byzantinum Ioannem VIII Palaeologum, patriarcham Ioseph II. Constantinopolitanum, circa 20 episcopos byzantinos aliosque plurimos sacerdotes, monachos, laicos, universim septingentos Venetias in navibus pontificiis appulisse. Audivistis de solemnissima receptione imperatori et suis a duce et senatu Venetorum praeparata. Dominica 9. februarii 1438 a littore S. Nicolai super aquas „Canale Grande“ usque ad pontem „Rialto“ navis splendidissima „Bucentoro“ (hodie conservata in Museo Maritimo) hospites graecos vehebat, dum campanae et musicorum instrumenta sonabant. Auctor graecus historiae concilii Florentini, testis ocularis huius ingressus solemnis, probabiliter Dorotheus Mitylinensis non est veritus psalmum 23, 2 urbi Venetorum applicare,¹ et est admiratus² „templum multum mirandum S. Marci, eximia palatia ducis aliasque maximas domus principum rubras et multo auro ornatas, pulchras et pulchiores pulchrarum“.

Nomine Papae Beatus cardinalis Albergati, cum episcopis pluribus et comite Ferrarensi Nicolao III de Este Graecos salutavit. Ambrosius Traversari sermonem graecum composuerat,³ in quo Graecos hoc modo salutavit.

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Iuvat quippe, serenissime imperator ac piissime princeps et reverendissime pater vosque reliqui clarissimi viri et religiosissimi patres, in hoc tam laeto, tam festivo, tam celebri conventu vestro hymnum exultationis angelicae tam ex affectu mittentis Romani Pontificis Eugenii beatissimi quam ex nostris proferre visceribus.

¹ Mansi 31 A, 467 A.

² Mansi 31 A, 467 B.

³ Cecconi 553—557.

Ferrariae imperator byzantinus 4 martii extra portam civitatis a cardinalibus Orsini, Condulmer, Colonna, Capranica et multis episcopis salutatus est, moxque a Papa in splendissimo palatio Estensi ad audientiam est admissus. Patriarcha Joseph II et episcopi 7. martii Ferrariam advenientes a cardinalibus Colonna et Capranica in urbem honorifice conducti sunt 8. martii et ad Papam adducti.

Marcus Eugenicus¹ brevi tempore post ad Papam Eugenium IV orationem dedicatoriā direxit, in qua in haec verba erupit:

Hodie universalis laetitiae primordia, hodie spirituales solis pacis radii toti orbi exoriuntur; hodie dominici corporis membra, multis retro saeculis divulsa ac diffracta, ad mutuam se unionem properant.

Florentiae 15. februarii 1439 omnes cardinales et Domini Magnifici Communis Florentiae salutaverunt imperatorem graecum. Cancellarius Aretino hac occasione sermonem graecum habuit. Iam die praecedenti patriarcha Joseph II ante palatium „Signoria“ graeca salutatione receptus erat.

Non abs re erit, vobis indicare pro habitatione illustrium hospitum graecorum fuisse electa Venetiis, Ferrariae, Florentiae palatia cum historia humanismi connexa. Imperator habitabat Venetiis in palatio comitis de Montferrat, patriarcha in monasterio S. Georgii; Ferrariae imperator universitatem hodiernam „Palazzo del Paradiso“ habitandam accepit, Florentiae imperator commoratus est in palatio De' Peruzzi (hodie Buoncompagni), eius frater Demetrius in palatio „De' Castellani, patriarcha in domo, De' Ferrantini in Pinti“.

Etiam de receptionibus cardinalium ad Concilium venientium non desunt notitiae in actis publicis Concilii.

De salutatione² solemnī Papae Ferrariae 27. ianuarii 1438 et eius solemnī discessu ex hac urbe 16. ianuarii anni sequentis alibi disserui. Hic solum vobis narrare volo duodecim equos albos pro Papa Ferraria Florentiam proficiscente praeparatos fuisse. Dorso primi equi arca portabatur, quae SS. Eucharistiam continebat.

¹ Louis Petit, *Documents relatifs au Concile de Florence. II. Graffin-Nau* XVII, 2: 336.

² *Orientalia Christiana Periodica*. 3 (1937) 124—125; 4 (1938) 157—158.

Quinquaginta viri, faces ardentes in manibus tenentes, Sanctissimum Sacramentum comitabantur. Secundo equo Papa vehebatur, mitra et pluviali indutus, comes Nicolaus de Este equum Papae pedibus incedens deducebat per vias Ferrariae. Sequebantur cardinales et episcopi equis insidentes.

2.

Colloquia academica.

Primas connexiones cardinalis Cesarini cum episcopis graecis nectere studuit, eos ad convivium invitando. Hac occasione, aprilii 1438, cum Bessarione, et laicis Gemistos et Amerutzos de quaestionibus philosophicis locutus¹ est.

Apud eundem Cardinalem cancellarius reipublicae Florentinae, provincialis O. P. Ioannes de Montenigro, Ambrosius Traversari de codice aliquo S. Basilii tractaverunt. Publice hoc nobis Ioannes de Montenigro in sessione conciliari 10. martii declaravit dicens:²

Cum pridem essem in domo domini Sanctae Sabinae, et esset nobiscum Frater Ambrosius, qui habet bonum donum interpretationis, quia ita de facili legit lingua latina ex scripturis graecis ut si latinae forent, allatus fuit quidam liber graecus valde antiquus et in membranis, ubi sunt multa opera Basili; quem protulit quidam peritus interpres litterarum graecarum, nomine Leonardus Aretinus huius civitatis cancellarius. Dum Frater Ambrosius haberet librum et quaereremus de epistola Basili, occurrit una homilia eiusdem de Spiritu Sancto.

Florentiae Gemistos Plethon occasio vel causa fuit, ut Cosima de Medici ibidem academiam Platonis fundaret.

Thomas Parentucelli, futurus papa sub nomine Nicolai V, Florentiae saepe disputationibus academicis³ interfuit, relationes ibi cum

¹ Silvester Syropulos, *Historia concilii Florentini* V, cap. 2 Creyghton (Haag 1660) 113.

² Giustiniani, *Acta concilii Florentini*. Romae 1638. 228.

³ Angelo Mai, *Spicilegium Romanum*. I. Romae 1839; cf. editionem adhuc meliorem Frati (Bologna 1892-1893) in *Collezione di opere inedite o rare*, n. 68-70.

doctis humanistis factis probabiliter etiam Concilio Florentino durante continuabat vel adhuc augebat.

3.

Citationes classicorum in sermonibus conciliaribus.

Aristoteles¹ non raro in Concilio Florentino citatus est. Hae citationes etsi non sunt demonstratio stricta humanismi, tamen non videntur esse negligendae in hoc sermone.

Theologi latini Andres Chrysoberges O. P. archiepiscopus Rhodi, Ioannes de Torquemada O. P., Iohannes de Montenigro O. P., Cesarii cardinalis, Aloysius Foroliviensis episcopus O. F. M., theologi graeci Bessarion, Marcus Eugenicus, Georgius Scholarius textus Aristotelis in medium protulerunt. Longe maiore proportione quam Graeci hoc fecerunt Latini.

Iam in discussionibus privatis Ferrariensibus de Novissimis Aristoteles nominatus est. Theologus latinus, probabiliter Iohannes de Torquemada, 27 iunii 1438 dixit:²

Habemus tam ex Aristotelis quam ex beatissimi Dionysii sententiam non esse eandem rationem boni et mali (in) eorum (con)stitutione.

In sessionibus publicis Ferrariae de quaestione, an liceret symbolo Nicaeno-Constantinopolitano formulam aliquam addere, pluribus vicibus Aristoteles citatur ab episcopis Rhodiensi et Foroliviensi. Florentiae in sessionibus publicis conciliaribus mense martio 1439 Iohannes de Montenigro O. P. non est oblitus Aristotelem.

Syropulos³ nobis narrat Iohannem protonotarium in praesentia Papae coram synodo inter officia sacra liturgiae sermonem habuisse, in quo Aristotelem saepe citasset, sed nobilem saecularem Georgiae haec audientem manum Syropuli sibi e vicino assidentis leviter tetigisse, quasi quid vellet ei dicere. Sed cum Syropulos ei nuter significaret se vix concipere, quid vellet, Iberus exclamavit: *Aristotelem*

¹ Ad singula loca cf. auctoris articulos in *Orientalia Christia Periodica* 3 (1937), 4 (1938).

² G. Hofmann, *Concilium Florentinum*. II. *Orientalia Christiana* 17 (1930) 236.

³ Syropulos IX, cap. 12 = Creyghton 270.

Aristotelem, o praeclarum Aristotelem. Cumque Syropulos se magis ambigere attestaretur, cur hoc diceret, ille respondit: *Sanctus Petrus, sanctus Paulus, sanctus Basilius, Gregorius Theologus, Chrysostomus, at quid nobis cum Aristotele, Aristotele?* Non omisit vero Syropulos, quamvis infestus ecclesiae catholicae, notare illum laicum Iberum fuisse hominem incultum et barbarum.

Iohannes de Torquemada iam unione Graecorum conclusa mox in aliquo sermone¹ gravissimo Primatum Papae contra Basilienses defendit; in hac occasione suis multis argumentis ex patribus, Doctribus Ecclesiae decretisque iuris ecclesiastici septem vicibus Aristotelem adiunxit.

Ex theologis graecis Bessarion Aristotelem generaliter nominat sub titulo *philosophus*.

Praeter Aristotelem audiatis etiam nomen *Platonis et Socratis* in sermone Aloysii Foroliviensis, 8. novembris 1438 ita dicentis:²

Ego non intendo vobis facere convicium, sed cum scriptum sit, ambobus existentibus amicis, sanctam amare veritatem, et in ore philosophorum: *amicus Socrates, amicus Plato, magis veritas*, dico ad vestram rationem, quia utimini logica, dico cum reverentia, quod non utimini vera logica, falsum assumitis et contra regulas logicales dicitis hanc affirmativam *Spiritum procedere a Patre et a Filio* habere unam negativam, scilicet *Spiritum non procedere a Patre nec a Filio*. Cum reverentia vestra non est ita.

Magis potestis vestigia Platonis apud Pseudo-Dionysium Areopagitam, saepe in concilio Florentino citatum, invenire.

Iohannes abbas celebris monasterii Citeaux, qui membrum legationis Philippi ducis Burgundiae erat, sermoni suo publice coram synodo Ferrariae die 27. novembris 1438 recitato complura loca classicorum intexuit. Invenitis ibidem citatos Ovidium, Senecam, Virgilium, Sallustium, Aristotelem.

Audiatis, quomodo ad pacem internam ecclesiasticam his verbis hortetur:

¹ Mansi 31 B, 1941 A—1998 C.

² Giustiniani 118, certe effatum mox adducendum *amicus Socrates, amicus Plato etc.* nondum est in se argumentum humanismi oratoris, sed considerata circumstantia huius sermonis utpote in sessione solemni conciliari prolati volui illam sententiam citare.

ignoscere quippe, sicut ex sapientibus quidam testatur, summum et nobile vincendi genus est, et Africanum Scipionem, Iulium Caesarem ceterosque consquisitores orbis pluris tandemque fideliores ex populis sibi rebellantibus subditos et amicos comparasse ignoscendo, miserando, largiendo quam gladiis utendo vel vinculis veteres paganorum historiae testantur. Cum enim dicente morali Seneca turpius nihil sit homini quam cum eo bellum gerere, cum quo semper amice vixerit.

Postea pergit: Quid enim Assyriis, quid Medis, et Persis, quid Graecis et Romanis, quid denique nostris temporibus regnis et populis bella civilia et schismata reliquerunt nisi lamentabilem patriarcharum desolationem, gloriosae famae attenuationem, corruptionem morum, et ad impune cuncta pertractanda facinora libertatem et licentiam?

Alludit quoque, ad pericula gravia pro puritate fidei in patria vestra temporibus suis:

Si enim causantibus discordiis inter christianos, iis temporibus pestiferis proh dolor vigentibus, quibus similes ab Incarnatione Verbi Dei nemo vidit unquam, discessionem ab Ecclesia fieri contigerit, quemadmodum haeretici Hussitae et eorum sequaces id desiderare dietimque procurare non desinunt . . quis sapiens merito non formidet se visurum in valde proximo superventuras universo orbi praesertim Ecclesiae tribulationes et angustias, quales mundus, ex quo gentes forte coeperunt, non habuit?

In concilio Florentino frequenter citabantur philosophi christiani, qui doctrinam Aristotelis aestimabant, Boetium et in primis S. Thomam Aquinatem, ex quo immediate theologi Latini concilii Florentini loca Aristotelis saltem magna ex parte sibi mutuati esse videntur. Sed hic non obliviscimur theologos catholicos larga fuisse mente. Diversarum scholarum theologicarum magistri cum mira concordia causam catholicam defendebant. Iohannes de Torquemada O. P. citavit non solum S. Thomam Aquinatem, sed etiam Bonaventuram et Alexandrum Halensem, Anselmum et Bedam. Aloysius Foroliensis ex ordine Fratrum Minorum Bonaventuram et S. Thomam Aquinatem. Quid dicendum de Patribus latinis et graecis iisque amicis culturae classicae? Magna enim pars textuum propositorum

in Concilio Florentino pro causa catholica defendenda desumpta est ex Augustino, Basilio, Athanasio, Epiphanio, Cyrillo Alexandrino, Hieronymo, Gregorio Magno, Gregorio Nazianzeno, Leone Magno. Nec desunt Scriptores subsequentis aetatis e. gr. Isidorus de Sevilla Hispanus, inter humanitatem classicam et humanitatem aevi medii quasi pons effectus.

Non proposui vobis adhuc omnia testimonia Concilii Florentini, ex quibus apparet, quantopere humanismus christianus synodales affecerit.

Potui vobis enarrare expositionem apologeticam a theologo latino, probabiliter Iohanne de Torquemada, die 27. iunii 1438 factam, ad refellendam accusationem Graecorum affirmantium, Latinos ob ignorantiam linguae graecae capitulum III primae epistolae ad Corinthios falso interpretatos esse.

4.

Pulchritudo linguae et stili.

Qui bullas pontificias Concilii Florentini et complures sermones eiusdem synodi attente consideraverit, non negabit certo magnam curam fuisse adhibitam etiam in forma externa illorum documentorum et sermonum redigenda. Exempli gratia legatur sermo Besarionis, die 9. octobris 1438 Ferrariae recitatus, oratio abbatis Cisterciensis 27. novembris 1438 ibidem pronuntiata. In redactione bullae unionis Graecorum humanista Traversari partem principalem habuit. Audiatis aliqua verba ex illo documento :

Gaudeat et mater ecclesia, quae filios suos hactenus invicem dissidentes iam videt in unitatem pacemque redisse; et quae antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia cum ineffabili gaudio omnipotenti deo gratias referant. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, et qui christiano censentur nomine, matri catholicae ecclesiae collae-tentur.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe fons misericordiarum.

5.

Incitamenta¹ Concilii Florentiae ad artes et scientias colendas.

Praeter studia theologica in sessionibus conciliaribus praeparandis et celebrandis promota non parvae utilitates artibus et scientiis ex Concilio Florentino proxime et remote provenerunt.

Qui vestrum imaginem celebrem pictoris BENOZZO GOZZOLI in cappella Palazzo Medici (postea Riccardi, hodie Prefettura): *Iter Magorum ad praesepe Betlehem* perspexerit, receptiones solennes imperatori byzantino et patriarchae Ioseph II factas ingenio pictoris ideas artisticas inspirasse facile fatebitur. Primus Magorum est patriarcha Constantinopolitanus Ioseph II, qui in Concilio Florentino in pace cum Ecclesia Catholica 10. iunii 1439 mortuus est et sepultus mox in ecclesia catholica S. Maria Novella. Secundus Magorum est imperator Ioannes Palaeologus. Tertius Lorenzo il Magnifico.

Monumentum sepulchrale Ioseph II patriarchae imaginem pictam huius Praelati cum inscriptione latina et nomine graece scripto patriarchae et anno insipientibus monstrat.

Tiara magnifica² a Papa Eugenio IV in actu solemni promulgationis unionis Graecorum prima vice portata, fuit opus Ghiberti.

Porta ferrea media Basilicae S. Petri cum imaginibus iussu Papae Eugenii IV ab Antonio Filarete facta continet imagines Beatissimae Virginis, apostolorum Petri et Pauli eorumque martyrii, discessus Graecorum e portu Constantinopoli, eorum audientiae primae apud Papam Ferrariae, promulgationis unionis Graecorum in cathedrali Florentina, eorum ascensus Venetiis in naves Constantinopolim redeuntes, adventus monachorum coptorum et abessinorum Romam, imaginem incoronationis imperatoris Sigismundi, praeterea imagines imperatores romanos et personas mythologicas repraesentantes. Supra portam est posita haec inscriptio: ROMA FLORENTIA.

¹ In hoc et sequentibus capitulis non solum de elementis essentialibus humanismi agam, sed etiam de secundariis, in sensu articuli Mohler a me supracitati.

² Pastor I,⁴ 343—344.

Supra scenas de delegationibus coptica et aethiopica habentur haec inscripta :

**Ut Graeci Armeni Aethiopes hic aspice ut ipsa
romanam amplexa est gens iacobina fidem.**

Monumentum sepulchrale Eugenii IV alludit ad unionem Florentinam. In inscriptione enim legitur inter alia :

**Concilii Basiliensis insolentiam
adversus pontificam romanam potestatem
concilio Florentiae celebrato refrenavit ac fregit
in quo**

Ioannes Palaeologus Graeciae imperator

Romanum caput agnoscens

**Eius pedibus se multasque externas et remotas
nationes humill. substravit.**

Eodem anno 1839 Sancta Synodus et imperator catechismum Filareti non solum pro scholis, sed etiam ut manuale¹⁶ pro omnibus christianis russicae ecclesiae statuerunt. Exinde ut regula dogmatica in Russia considerabatur et in eadem linea cum aliis libris symbolicis ponebatur.¹⁷ Quia catechismus hic influxum insignem in theologiam russam in secunda metietate saeculi 19. habuit, etiam eius doctrina insinuanda est. Brevitatis causa articulum nonum symboli fidei tantum attendimus.¹⁸

b) Catechismus de Ecclesia.

Prima quaestio: Quid est Ecclesia? „Ecclesia est a Deo instituta societas hominum inter se coadunatorum fidei pravoslava, lege divina, hierarchia et sacramentis.“ Quae definitio magni momenti est in nostra dissertatione, nam lis imprimis circa hanc ab Akvilonov et aliis facta est. Qua ex definitione quasi omnes partes constitutionales Ecclesiae evolvuntur . . . Filaretus postea loquitur de notis Ecclesiae et proprietatibus fere modo catholico addens notam: „orientalis Ecclesia“. Praesertim attendi debet eius conceptus „sobornaja“ vel catholica: significat idem ac universalis. Filaretus doctrinam modo ordinato, systematico propo-

¹⁵ Cf. Jugie I. c. 456.

¹⁶ Vademecum: руководительная книга.

¹⁷ Korsunskij vocat Filaretum „famosum theologum (pag. 47); et citat verba Vissarionis (Nečaev): catechismus eius est regula fidei pro omnibus fidelibus pravoslavae Ecclesiae . . . non invenitur in Russia ante eum vir talis influxus et auctoritatis . . .“ Filaretum secutus est metrop. Macarius in sua dogmatica aliive.

¹⁸ Catechismus citatus, pag. 51—60.

nit et argumentis semper firmat (maxime e Sacra Scriptura).

Hierarchia ecclesiastica est illa institutio, in qua successio apostolica servatur, hierarchia a Christo Domino fundata a Spiritu Sancto sanctificatur.

Doctrinae catholicae de Primatu papae concilium oecumenicum opponit; quod est institutio hierarchica cum iurisdictione in universalem Ecclesiam. Secundum Filaretum et etiam alios traditionales theologos sententiae conciliorum oecumenicorum sunt absolute irreformabiles,¹⁹ nec ulla confirmatione indigent, ideoque ab omnibus cum docilitate recipiendae sunt.

Postea ponit quaestionem, cui praecipuae partes Ecclesiae universalis subdantur, et respondet: Patriarchis orthodoxis et Sanctae Synodo. Sancta Synodus eiusdem gradus est in hierarchia sicut patriarcha.

c) *Akvilonov de Filareto.*

Akvilonov initio sui libri²⁰ agens de Filareto, partes, ubi de corpore Christi loquitur, sumit et in his insistit. De definitione catechismi ne verbum quidem hic.²¹ Nam corpus Christi — pergit Akvilonov — est exacta formula essentiae Ecclesiae cum eius proprietatibus et realitatibus. In Ecclesia sicut in corpore Christi omnia organice ordinata sunt. — Multa ex Filareto sumpsit Akvilonov: Invectiones contra Primum papae. Ecclesia est corpus Christi, quod unum caput habet et uno spiritu regitur, nec potest monstrum esse cum dupli capite. Una est Ecclesia, sed dantur plures separatae ecclesiae et autokefaliae. Responsum sumit Akvilonov e catechismo: haec sunt partiales ecclesiae, vel partes unius *universalis* Ecclesiae. Separatio directionis visibilis non impedit quominus spiritualiter membra unius corporis universalis

¹⁹ Vide: ep. Silvester, Opty prav. dogm. bogosl., IV, pag. 274—305, maxime 290 s.

²⁰ Церковь, pag. 50—53.

²¹ In sermone ante defensionem dissertationis per transennam tantum loquitur de uno loco catechismi, ubi Filaretus conceptui occidentali appropinquit. — Ceterum Filaretus bene Ecclesiam qua societatem cum denominazione corporis Christi iunxit; non se mutuo excludunt. Aliter Chomjakov eiusque sequaces. Akvilonov haeret dubius magis in partes Chomjakovi se inclinans.

sint, unum caput Christum et unum spiritum fidei et gratiae habeant. Quae unitas visibiliter una confessione fidei et communione in precibus et sacramentis exprimitur.²²

Sed iam oculos ad Chomjakovum vertamus, cuius opera secundum Akvilonov „castellum contemporaneae pravoslavo-dogmaticae doctrinae de ecclesia vocari debent“.²³

B) ALEXIUS S. CHOMJAKOV (1804—1860)

Ultimis annis in multis libris et ephemeridibus orthodoxi de Chomjakovo scribunt et semper opera eius ut fontem theologiae modernae pravoslavae extollunt.²⁴ Non solum nunc temporis, sed iam in fine saeculi elapsi magnopere influxus eius apparuit. Propterea necesse videtur quaedam puncta eius theologiae monstrare, in quibus influxus eius in posteros apprehenditur.

Chomjakov primus theologus laicus ecclesiologiae pravoslavae reformator insignis exstitit. Systema suum theologicum supra principia slavophilorum philosophica elaboravit.²⁵ In oppositione ad auctores occidentales noluit Chomjakov, ut in pravoslavia quid e catholicismo vel protestantismo mutuatum adesset. Proposuit sibi proprias notas et propriam theologiam pravoslavam

²² Vide catechismum ad articulum nonum. — Sentiunt apud se unitatem externam visibilem non adesse sensu vero, quapropter necessario ad admittendam unitatem spiritus tantum ducuntur.

²³ Твердыня науки о Церкви (Церковь, стр. 54).

²⁴ Cf. e. gr. Berdjaev: „Chomjakov fuit ante omnia famosus theologus, primus libertate praeditus theologus russus“ (A. S. Chomjakov, pag. 79), statim debet ponи post antiquos doctores ecclesiae. Et alibi (pag. 23): „Ch. fuit ante omnia theologus pravoslavus, philosophus christianus, eques ecclesiae pravoslavae.“

²⁵ Ivan Kirjeevsky, qui fundamentum philosophicum slavi. posuit, iam a. 1830 palam pronuntiavit: „Nobis necessaria est filosofia, omnis evolutio nostri intellectus necessitatem eius habet“, et tendentiam posteriorem adumbravit: „Nostra philosophia evolvi e nostra vita, confluere e flentibus quaestioni- bus, e regnantiibus concentibus nostrae nationalis et peculiaris praesentiae debet“ (Poln. sobr. soč. Kir. II, 27). — Ita Kirjeevsky simul cum Chomjakovo affectu patrioticо ductus, contra idealismum germanicum novam viam ad ecclesiam monstravit. Ch. primus systematice doctrinam Slavophilorum dat; non magnos quidem tractatus systematicos scripsit, sed animus eius systematicus fuit. — Eum dialecticum natura et quid socraticum in eius modo disputandi fuisse biographi dicunt...

detegere et imunem ab omni influxu occidentali reddere.²⁶ Quod est vitium fundamentale totius eius systematis, „quod non ingenium nationis nititur in vera religione, sed, e contra, ipsa religio determinatur singulari ingenio nationali“.²⁷

a) *Experientia interna.*

Iamvero inveniri debet fundamentum principale, e quo Chomjakov exit et quasi integrum suam doctrinam evolvit. „Chomjakov ab interna experientia ecclesiae exit,“ dicit Florovskij.²⁸ In hoc eius peculiaris proprietas consistit, quod non instructiones nec definitiones dedit, sed ut testis ocularis Ecclesiam describit sicut ipsa se revelat ab intus per experientiam vitae in ea. Ita theologia Chomjakovi characterem testificationis propriae et elementum nimiae subjectivitatis in theologiam russam induxit. Eius doctrina non demonstrationis scientificae, sed potius propriae experientiae vitalis pondus habet.

Prima scientificae inquisitionis theologicae conditio secundum Chomjakovum est adhaerere Ecclesiae. Sic in „Ecclesia una“ de symbolo Nicaeno-Constatinopolitano scribens²⁹ dicit, si cognoscere volumus Ecclesiam, necesse esse adhaerere ei, quia doctrina christiana tantum ab intus cognosci potest. — Loquens de SS. Trinitate iterum ad similes propositiones refudit. Illa accessibilis est soli fidei non autem intellectui.³⁰

²⁶ Opera sua extra Russiam edere debuit, in Russia postea tantum cum censurae adnotatione... Мы „должны“ напомнить читателямъ, что „неопределенность и неточность встречающихся въ немъ нѣкоторыхъ выражений, произошли отъ неполученія авторомъ специально-богословскаго образованія“. — Akvilonov „Полн. собр. соч“. adhibuit propterea etiam ex hac russica collectione citamus, quamvis ex parte versio est e franco-gallico vel anglico opere.

²⁷ Tyszkiewicz, *Doctrinae de Ecclesia*, pag. 147.

²⁸ Пути русского богословия, pag. 274; cf. Berdjaev, o. c. pag. 108 s; Consuli potest et e. gr. A. Gratieux, *De elemento morali in theologico systmate Khomiakovii* (Acta II. Conventus Velehradensis, Pragae Bohemorum 1910, pag. 68—74).

²⁹ „Haec confessio sicut etiam tota vita spiritualis, tantum a credente et a membro Ecclesiae apprehendit possunt. Illa continet in se secreta, quae inaccessibilia sunt rationi inquirenti, clara sunt tantum ipsi Deo et eis, quibus ea revelat secundum internam et vivam, non autem secundum mortuam et externam cognitionem“ (Soč. II, pag. 10).

³⁰ „Nam cur deberem dicere: credo, quando iam cognoscerem? Non est

Chomjakov apud posteros praesertim in eo, quod viam experimentalis cognitionis Dei straverat, influxum habuit. Quod apud eum magni aestimasse videntur posteri. Nec institutiones nec probationes inveniuntur apud eum, immo a principio ipsam possibilitatem probationis excludere videtur. Agitur de tali probatione, quae etiam incredulum obliget, infideli externe persuadeat, quasi necessitatem accipiendi veritatem imprimat. Ita Chomjakov possibilitatem propria vi rationis ad veritatem perveniendi reicit et ad mysticismum inclinat. Dicit enim: „Per vires intellectus veritas Dei non attingi potest... Cognitio christiana non est effectus intellectus quaerentis, sed fidei gratuitae et vivae.”³¹

Aliis verbis potest dici ad Ecclesiam cognoscendam necessariam esse fidem; quae est idem ac experientia interna. Nam secundum eum cognitio Ecclesiae est effectus tantum fidei, Ecclesia est visibilis solum credenti et quidem visibilis oculis fidei; fides est opus gratiae, non rationis quaerentis.³² Fides apud Chomjakovum videtur cognitio spontanea vel interna; fides non demonstrat seipsam et proprias leges, est cognitio viva. Quae cognitio immediata sine intellectu vel ratiocinio elementum mysticum in se includit.³³

b) *Conceptus Ecclesiae Chomjakovi.*

Non definitionem strictam dare volumus, sed eius expressiones, descriptiones. „Ecclesia non est auctoritas, sicut neque Deus est auctoritas, neque Christus auctoritas est; nam auctoritas aliquid extrinsecum est. Non auctoritatem dico ego, sed veritatem et simul vitam christiani, internam vitam eius; nam Deus, Christus, Ecclesia vivunt in eo vita magis reali, quam cor, quod in pectore

fides monstratio invisibilium? Ecclesia visibilis non est visibilis societas christianorum, sed spiritus Dei et gratia sacramentorum, qui vivunt in hac societate. Propterea Ecclesia visibilis est soli credenti visibilis, nam pro incredulo sacramentum est tantum ritus et Ecclesia tantum societas. Etiamsi credens solum oculis corporeis et intellectu Ecclesiam in externis manifestationibus videt, tamen cognoscit eam per Spiritum in sacramentis, in oratione et in Deo gratis operibus. Propterea ille non commutat eam cum societate, quae nomen christiani portat” (Soč. II, pag. 12). — Sat instructivam adnotationem hac de re Samarin operibus Chomjakovi proporit: Soč. II, pag. XII.

³¹ Soč. II, pag. 7 ss.

³² Soč. II, pag. 7, 11, 12.

³³ Cf. Radlov, Storia della filosofia russa, pag. 63.

eius palpitat, vel sanguis, qui in eius venis fluit; sed vivunt in quantum ipse vivit universali vita amoris et unitatis i. e. vita Ecclesiae.”³⁴ Vel „essentia eius in consensu, in unitate spiritus et vitae omnium eius membrorum consistit”.³⁵

Chomjakov habet talem idealem conceptum Ecclesiae, ut aliquo modo in orthodoxia, catholicismo, protestantismo verificatur — quamvis intuitiones theologicas valde profundas praebet.

Est quasi ecclesia supraconfessionalis vel Ecclesia caelestis tantum;³⁶ simul eliminatio radicalis omnis auctoritatis vel institutio-
nis, negatio differentiae inter Ecclesiam discentem et docentem,
negatio Ecclesiae docentis.

Liceat adhuc fusius doctrinam Chomjakovi exponere, quia magni
momenti est pro determinanda illa apud Akvilonovum.

c) Unitas Ecclesiae secundum Chomjakovum.

Ecclesia est secundum descriptionem eius ante omnia unitas.
Admittit solam internam unitatem, externam vix commemorat.³⁷
Propter homines viventes in terris quaedam divisio admitti po-
test: Ecclesia visibilis et invisibilis, „unitas autem est vera et ab-
soluta”.³⁸

d) Sobornost.

Ex unitate Ecclesiae, ex unitate gratiae Dei et fidei, quae non

³⁴ Soč. Chomj. II, pag. 53.

³⁵ Ibidem pag. 6. — Bene dicit Samarin de fundamento eius doctrinae:
„Ecclesia non est doctrina, nec sistema, nec institutio. Ecclesia est vivus or-
ganismus, organismus veritatis et amoris vel expressius — veritas et amor
sicut organismus” (Ibidem pag. XXI).

³⁶ „... il a confondu le terme de la vie chrétienne avec les moyens qui
y conduisent, l'aspect céleste de l'Église avec son aspect terrestre; cédant
à une tentation très répandue dans la pravoslavie, comme d'ailleurs dans tou-
tes les confessions dissidentes, il a pris un idéal eschatologique pour une réa-
lité mystique déjà acquise dans sa perfection.” (L'Église est Une, pag. 273.)

³⁷ „Unitas necessario sequitur ex unitate Dei... Est unitas gratiae divinae,
viventis in multitudine creaturarum rationalium... haec unitas est vera et
substantialis sicut unitas multorum membrorum in corpore vivo” (Soč. II, pag. 3).

³⁸ Fides videtur secundum Chomjakovum salvare unitatem. Non potest esse
fides subiectiva secundum uniuscuiusque opinionem, nam fides est adhaesio
ad Christum, non quid peculiare, sed universale in uno Spiritu. Admittit qui-
dem libertatem personalium sententiarum singulorum; sed fides non est talis Non
consensus qua talis, sed consensus in Ecclesia testificat veritatem. Cf. eius
Soč. II, pag. 202.

datur homini individuali qua tali, sed universo populo christiano, deducit Chomjakov suum conceptum „soborny” — catholicus. Non propterea homo constituitur catholicus, quia in multitudine credentium includitur, sed quia se adiungit unitati gratiae. Chomjakov multum impugnat notionem verbi catholicus — universalis; illa vox potius ideam unitatis in multitudine exprimit.³⁹

Secundum Chomjakovum sobornost nullo cum communitate vel corporativitate coincidit. Sobornost in eius conceptu non humana, sed divina caracteristica Ecclesiae est.⁴⁰

e) Libertas.

Principium fundamentale ecclesiologiae Chomjakovi est primatus libertatis.⁴¹ Nam libertatem contra auctoritatem ponit, et uti dictum est, Ecclesia non est auctoritas. Libertas hic non significat aliquod ius, sed internam spiritualem libertatem, quae consistit in maxima dependentia a summo bono et libertate i. e. a Deo, est totalitas vitae spiritualis cum gratia, est plenitudo vitalitatis, quae surgit ex mea relatione cum Deo.⁴²

³⁹ Adnotat bene ad hoc P. Jugie: „Ecclesia est catholica secundum eum, quia est omnimoda unitas in multitudine et multitudo in unitate; est quaedam species communismi spiritualis, vi cuius singula membra caritate adunata omnia bona, omnes prerogativas Ecclesiae participant, delentur vero omnes particularitates, quae perfectam aequalitatem, unanimitatem omnium consensum impedirent” (Theol. dogmat. IV, pag. 570).

⁴⁰ Est quaedam moralis unitas: non persona nec multitudo personarum servat traditionem, sed spiritus Dei vivens in universo populo ecclesiastico. Non tamen sobornost simpliciter dici potest moralis unitas, quia haec est tantum humana denominatio vel signum sobornae transmutationis per Spíritum.

⁴¹ „Maior pars mei libelli data est evolutioni huius sententiae, quod ipsa christianitas non est aliud quam libertas in Christo” (Soč. II, pag. 192).

⁴² Ceterum duas formas libertatis distinguit: ex parte universi populi et singuli hominis. „In Ecclesia, in eius universo populo apparet plenitudo libertatis in Jesu Christo. Apparet libertas semper se cognoscens ut infallibilis, in praeterito, in praesenti et semper firmata in seipsa et in donis Spiritus Dei. — In singulari persona patet humilitas libertatis christiani hominis, qui dum persuasum habet Ecclesiam falli non posse, affert suum tributum in universale opus, semper se habet minorem suorum fratrum, submittit eis proprias sententias et tantum orat Deum, ut sibi potentiam det servire fidei omnium. Talis est haec libertas, quam numquam benedictio Dei relinquit” (Soč. II, pag. 243). Sic Chomjakov. In humilitate revelatur libertas. Hoc maxime pravoslavum: totalis submissio, humilitas erga Deum, magis passive se habere.

Breviter possumus reassumere totum verbis P. Tyszkiewicz:
„Essentiam pravoslaviae Chomjakov in mutua infallibili caritate fidelium omnium reponebat“.⁴³ Ergo non hierarchia vel concilia oecumenica sunt infallibilia sicut classici theologi docuerunt, sed totus populus christianus.

f) *Akvilonov de Chomjakovo*.⁴⁴

Talem aspectum pravoslaviae dedit, ut ipsa sola sicut conservatrix lucis Christi usque ad nostra tempora pervenerit. Doctrina de mutuo amore et interna vita Ecclesiae ipsam possibilitatem rationalismi in ea removet. Chomjakov primus ostendit rationalismum tum catholicismi tum protestantismi. Ecclesia ut unus organismus harmonicus in sua unitate mutationibus non subiacet. — Obicit Chomjakovo se non clarum nec exactum esse in multis expressionibus.

Concedit Akvilonov se multa apud Chomjakovum sibi convenientia invenisse, maxime autem fundamentalem aspectum essentiae confessionum occidentalium generatim sibi appropriasse et quoad errores occidentis in singulis punctis christianaे doctrinae. Verba haec magni sunt momenti, quia influxum Chomjakovi in eum illustrant. Vox „organismus vivens“ a Chomjakov mutuata per totum librum „Cerkov“ patet, simul cum illa sententia: Ecclesia non est societas credentium:⁴⁵ quod Akvilonov evolvit argumentisque fulcit.

Post Filaretum et Chomjakovum ecclesiologi pravoslavi tantum discutiunt, illustrant, examinant fructus iam datos.⁴⁶

⁴³ Doctrinae de Ecclesia, pag. 6. — Cf. verba Ch.: „Mutuus amor, donum gratiae est hic oculus, per quem omnis christianus res divinas videt... data pars spiritualis evidentiae, quae omni christiano datur, suam plenitudinem invenit in organica unitate omnium et non in aliquo altero...“ (Soč. II, pag. 193.)

⁴⁴ Церковь, pag. 53—57.

⁴⁵ „Церковь же видимая не есть видимое общество Христіанъ, но духъ Божий и благодать таинствъ, живущхъ въ этомъ обществѣ“ (Полное собрание сочинений Хомякова, II, 12).

⁴⁶ Sic e. gr. A. Lebeděv (O glavenstvѣ папы) in multis secutus est Chomjakovum, quem luculenter citat.

PARS HISTORICA

De opere Akvilonovi „Cerkov“:

a) *Quomodo acceptum sit ab Academia ecclesiastica.*

Die 10. Maii a. 1894¹ in aula magna Academiae ecclesiasticae petropolitanae defensio dissertationis locum habuit.² Thesi ab Akvilonovo scriptae, ut diploma magistri theologiae acquireret, inscribebatur: „*De Ecclesia. Definitiones scientificae Ecclesiae et doctrina apostolica, quae ipsam ut corpus Christi considerat*“. Praesente ipso metropolita Palladijo, rector Academiae Nikander, professores, discipuli, multi hospites cum e clero tum e laicis aderant. Secretarius Academiae curriculum vitae candidati legit. Sumamus ex eius vita³ et actione litteraria non nisi ea, quae ad nostrum scopum pertineant. Iam die 6. Oct. 1892 Akvilonov manuscriptum sui laboris Academiae ecclesiasticae praebuerat. Senatus academicus in sua sessione 22. Dec. 1893 perpensis omnibus et auditis de hoc opere professore ordinario A. L. Katanskij et extraordinario Th. A. Tichomirov facultatem imprimendi concessit. 29. aprilis 1894 liber impressus ad gradum magistri pro Akvilonovo obtinendum ab Academia receptus est.

Iamvero Akvilonov cathedram ascendit, ut sermone explicati-

¹ Data citantur secundum *vetus calendarium pravoslavum*.

² Vide: Церковный Вѣстникъ, С. Петербургъ 1894, стр. 312.

³ Quoad biographiam Akvilonovi consuli possunt: Венгеровъ С. А., Критико-биографический Словарь русскихъ писателей и ученыхъ. Томъ VI. С. Петербургъ 1897—1904, стр. 314—320 (*ubi luculenter vita eius usque ad a. 1903 describitur*). Deinde: Православная Богословская энциклопедія (А. П. Лопухинъ). Петроградъ 1900, Томъ I., 384—385; Новый энциклопедический Словарь. С. Петербургъ (sine anno, ed. Brockhaus Leipzig, И. А. Ефронъ Петроградъ) том. I. col. 692; Церковные Вѣдомости, издаваемыя при святѣйшемъ правительствующемъ Синодѣ, С. — Петербургъ 1910, № 21 (Прибавленія), стр. 873—874; Странникъ, духовный журналъ. Петербургъ 1911. II, pag. 660 s; A. Palmieri, Nomenclator litterarius theologiae orthodoxae russicae ac graecae recentioris. Pragae 1910, vol. I, pag. 21—23; Český slovník bohovědný, Praha 1912. Tom. I, pag. 215; L'Église est Une, page 273, adnot. 6.

Data praecipua eius vitae haec sunt:

Natus a. 1861; ab a. 1890 docens in Academia eccl. petropolitana. Sacerdos ordinatus 1896. Ab 1900 extr. prof. et postea ordinarius prof. ibidem. Ab a. 1903 etiam curam spiritualem in exercitu habuit. — Mortuus est anno 1911.

onem ideae fundamentalis sui laboris pronuntiaret. Verba autem eius breviter quoad sensum ita sonant.⁴ Scientia et vita intime coniunctae sunt. Littera occidit, dicit proverbium recte, nam littera est tantum forma, quid externum. Si pugnae aliquando pro littera exortae sunt, tunc revera de substanciali re, interna et vitali, pugna fuit. Tendentia omnis hominis ad veram vitam, quae in Ecclesia Christi invenitur, consistere debet. „Et sicut pluries Christus se Vitam vocat, sic et Ecclesia super eum aedificata non potest quid mortuum vel petrificatum esse, sed tantum ens vivum et verum. Talis debet esse etiam scientifico-theologica explanatio doctrinae de Ecclesia.“⁵ Exeentes ex idea verae vitae initio operis — Akvilonov pergit — nos per totum opus usque ad finem ita prosecuti sumus laetantes nos posse vel ultimis discipulis huius apostoli adnumerari, qui doctrinam de Ecclesiae, corpore Christi evolvit.

Ecclesia — corpus Christi forsitan quibusdam minus placet, sed ea doctrina per sanctum Paulum apostolum revelata est. Nos minus consuetos esse vocare Ecclesiam corpus Christi verum est. Durus videbatur nonnullis sermo Christi Domini de SS. Eucharistia, de suo corpore et sanguine; ita tempore Christi fuit. Similiter hodie in tractatu de Ecclesia apparet. „Aliis, sicut Eucharistia non est solum coadunatio particularum panis et gutterum vini, sed corpus et sanguis Christi, sic Ecclesia non est solum coadunatio singulorum separatorum fidelium, sed corpus Christi cum capite ipso Domino, in quo magnum mysterium adest — aliis autem e contrario denominatio Ecclesiae — corporis Christi, forsitan non proprie sed figurative vel metaphorice dictum videtur . . . si Eucharistia verum corpus et sanguis Christi est, cur etiam Ecclesia non vero sensu corpus Christi esse potest?“ (Ibid. 307.) Adsunt multa testimonia sanctorum Patrum et doctorum Ecclesiae; quando substantiam Ecclesiae exprimere volunt, tunc omnes uno ore Ecclesiam corpus Christi vocant.

Liberalismus qui in Occidente regnat aliis verbis vocat Ecclesiam: congregatio, societas, colluvies, Gemeinde etc. Nos relatio-

⁴ Церковный Вѣстникъ 1894, pag. 305—308.

⁵ Ibidem, pag. 306.

nes cum Occidente habuimus, quapropter theologica doctrina sumpsit quaedam e litteratura theologica eorum, sed a magno influxu et doctrinae assumptione defendebant nos viri nostrae magnae eruditionis. Quos inter magno lumine *Filaretus Moscoviensis metropolita* eminet. Ille ut magnus defensor doctrinae apostolicae de corpore Christi exsurgit. Utique omnes eius labores attendi debent, nam littera occidit, spiritus autem vivificat. Ita repugnatio quaedam inter catechismum et opera eius cetera cernitur. Uno tantum loco in suo catechismo, ubi conceptui occidentali appropinguat, definitionem Ecclesiae qua societatis profert. Metropolita ille Moscoviensis Ecclesiam corpus Christi vocat vitale et profundum; propterea definitionem Ecclesiae in has partes integrales dividit: societas et institutio: Ecclesia est societas a Deo instituta, est societas fidelium. In omnibus aliis locis vocatur Ecclesia corpus Christi.

Causa duplicis definitionis catechismi Filareti explicari potest, secundum Akvilonovum. Conceptus corporis Christi non excludit⁶ conceptum societatis fidelium, sed hic in illo tantum plenum sensum accipit, sicut in doctrina pravoslava videmus. Apparens contradictio apud Filaretum secundum mortuam litteram adest, non autem secundum spiritum doctrinae pravoslavae.

Akvilonov per totum opus stricte ideam pravoslaviae retinere voluit, propterea innititur testimoniis Sacrae Scripturae, Traditionis et operibus sanctorum scriptorum, sanctorum Patrum et doctorum Ecclesiae. Agnoscit tamen auctor suam insufficientiam et defectus sui operis; quod humanum, ergo erroribus subiectum esse potest.

Sic locutus est Akvilonov ante defensionem suaे theoseos.

Primus opponens ordinarius prof. theologiae dogmaticae A. L. Katanskij determinavit scientificam significationem illius laboris.⁷ Insuper de Akvilono dixit eum defectus existentes in theologica doctrina definitionis Ecclesiae consignavisse et quaestionem de necessitate melioris definitionis statuisse. In hac crisi est

⁶ Iam aliquid admittit nunc quod in libro Cerkov non continetur: ne contra officialem doctrinam pravoslavam pugnare videretur. Unde inconstans in suis propositionibus Akvilonov dicendus est.

⁷ Vide Церковный Вѣстникъ 1894. pag. 13.

meritum fundamentale auctoris. Quae potius indolis negativae sunt. In parte positiva etiam quid novi adducit, scilicet praecisam formulam definitionis Ecclesiae, quae serene attendi debet. Si totum opus respicimus, revera significationem scientificam habet. In particularibus multae obiectiones surgunt; opponens cum e parte positiva tum e parte negativa laboris quaedam obicit. E parte positiva: Akvilonov explicavit ideam Ecclesiae-corporis, organismi, sed ideam Ecclesiae, mystici corporis (ad Ephes. 5, 31—32) non explicavit, dum haec iam in Vetere Testamento incipit et fundamentale argumentum pro prima idea est. Secundo: Akvilonov relationem tertiae Personae SS. Trinitatis non exposuit.

Quoad negativam partem prof. Katanskij obicit: Secunda pars capitis de romana catholica doctrina de Ecclesia deberet alium aspectum induere. Akvilonov discussionem doctrinae de primatu papae restrinxit, non monstravit, quomodo ad hanc doctrinam per varias machinationes accommodetur a romanis theologis doctrina de Ecclesia et in quo substantialiter eorum doctrina consistat.

Extraordinarius prof. theologiae moralis Th. A. Tichomirov non fuit contentus cum minus praecisa formula de substantia Ecclesiae. Akvilonov ei respondit et explicat. Tichomirov obicit: Conceptus vitae organicae sensu plenu non potest applicari vitae ecclesiasticae, nam hoc in se notionem necessitatis et compositionis includit; spiritualis autem vita simplicitate et libertate assignatur. Expressio „divinohumanus organismus“ non plene respondet expressioni biblicae „corpus Christi“. Deprimit sententiam de Christo — capite super Ecclesiam et de Deo absoluto. In fine: Difficile potest cum Akvilonovo consentiri in Romano catholicismo substantiam verae Ecclesiae evanuisse.

T. V. Barsov, prof. ord. iuris canonici: definitio Ecclesiae, corporis Christi, potius machinam Ecclesiae et singulorum partium describit, quam essentiam eius definit. Et melius esset retinere communem antiquam definitionem „societas credentium“.

Akvilonov his omnibus respondebat et explicabat.

Postea rector Academiae vota singulorum membrorum senatus academicus collegit. Tunc apparuit senatum academicum defensionem disputationis sufficientem invenisse et decrevisse, ut metropolita coram Sancta Synodo confirmationem Akvilonovi in gradu

magistri theologiae peteret. Collegae et cognati, festinantes ei ad felicem effectum gratulabantur.

Sed — proh dolor — res tam facilis non evenit, nec finita est.

His quaedam adnotari possunt. Asseclas suaे doctrinae Akvilonov in Academia petropolitana habuit (immo doctrinam sui magistri Katanskij explicat) proinde nil mirum, si approbationem imprimendi librum ab eadem Academia obtinuit, minime vero a communi censura ecclesiastica; quod ei et prof. N. Subbotin⁸ obicit dicens eum habere ad senatum academicum relationem familiarem.⁹

b) Sancta Synodus et polemicae litterariae circa hoc opus in Russia.

Confirmationem in gradibus academicis theologicis Sancta Synodus conferebat; mos fuit, ut alicui sacerdoti ex hierarchia dissertatione committeretur, qui defectus e parte dogmatica detegeret. (Nečaev) Vissarion, episcopus e Kostroma electus est, ut relationem de libro Akvilonovi daret.¹⁰ Vissarion recensentibus ex Academia consensit et faustum recensionem dedit simulque votum proposuit, ut definitio Ecclesiae in catechismo Filareti secundum doctrinam huius laboris corrigeretur. Hoc autem desiderium inquietam redditum Sanctam Synodum. Coepit acris disputatio literalis inter adhaerentes traditionalis doctrinae et doctrinae de Ecclesia sic dictae purificatae. Praesertim prof. russici schismatis in Academia ecclesiastica Moscoviensi N. I. Subbotin in libro Akvilonovi periculosum instrumentum contra pravoslaviam detegit.

Tenorem eius scripti si audias, scribit Subbotin,¹¹ crisi subicit definitionem Ecclesiae in catechismo, reicit eam uti minus completam et non rectam secundum eius opinionem. Simul suam propriam proposuit, quam utique magis completam et rectam putat. Immo simul in duobus redactionibus eam proponit, ut lector quae sibi magis placeat eligere possit.

⁸ Братское Слово. Москва 1894. Томъ II, стр. 553.

⁹ ближайшее отношение.

¹⁰ Vide de his et sequentibus autobiographicam descriptionem ab Akvilonovo in Vengerov, pag. 318 s; cf. etiam Florovskij, pag. 420 s, qui omnia secundum Vengerov citat.

¹¹ Братское Слово 1894, II, pag. 553 s,

Deinde Subbotin historicas reminiscentias definitionis Ecclesiae in pravoslavia in mentem revocat. Plusquam duo saecula in russica pravoslavia haud obscure explicatus conceptus de Ecclesia existit, puta, ex his temporibus, quando Magnus Catechismus sub patriarcha Filareto, typis impressus est, et quando sub Hadriano patriarcha „Confessio orthodoxa“ Petri Moghilae edita est, quae communiter a quattuor Orientalibus patriarchis approbata est i. e. confirmata a tota pravoslava universalis Ecclesia. Explicatio exacta huius conceptus postea in catechismo metropolitae Moscovensis Filareti invenitur, qui profundus theologus russicus nuncupatur; ex tunc fuit in communi possessione omnium pravoslavorum, multae generationes in tali educatae sunt. In explicationibus catechismi non quidem eaedem expressiones adsunt, sed quoad sensum et significationem sunt identicae. Nemini e russis pravoslavis in mentem venit necessariam esse correctionem vel mutationem. Nemo dubitationem de eius rectitudine vel pravoslavitatem proposuit. Nostri missionarii in suis disputationibus cum raskolniki in hac fundamentali definitione ostendunt in pravoslavia tantum, non in sectis, dari essentiales proprietates Ecclesiae . . . Multi sectarii his convinciuntur et accipiunt doctrinam pravoslavam. „Quam inexpectata et simul tristis solidaritas inter alumnos nostrae contemporaneae scientiae theologicae et principales schismaticos pseudomagistros!“¹²

Ipsum tentamen relinquendi sicut inconvenientem, tamen usque adhuc existentem et communiter acceptam definitionem et splendi eam cum nova, nonne novum instrumentum dat nostris inimicis? Possunt dicere: Qualis est ista Ecclesia, quae usque ad nostra tempora non habuit rectum conceptum de re tam gravi: quid est Ecclesia? Ipsa faciliter mutat conceptum de hac fundamentali dogmatica quaestione . . . Estne hoc indeclinabilitas in deposito dogmatum fidei? Ecclesia tamen pravoslava definitionem catechismi non mutabit nec adest ratio mutandi.

Objectionem solvit postea Subbotin. Veritas debet proponi, etiamsi non placet omnibus. Utique, sed in opere Akvilonovi doctrina contraria pravoslavae recensetur, immo conveniens potest dici

¹² Ibidem, pag. 554.

identica cum schismatica sententia, quam Švecov aliique sectarii de Ecclesia habent. Ad finem sui articuli (*ibidem* pag. 557) appellat ad praepositos ecclesiasticos: Caveant consules!

Missionarius archimandrita Pavel (Prusskij), tunc temporis Moscoviae degens, simul cum prof. Subbotin acriter librum Akvilonovi impugnabat.¹³ Nam auctor contra doctrinam Patrum, apostoli s. Pauli et contra doctrinam ipsius Christi Redemptoris scribit... (*Sententiae, immo excitatae appellationes professoris Subbotin et adnotationes archimandritae Pauli effecerunt mutationem sententiae Sanctae Synodi*). — Secundum Subbotin tunc temporis praeter schismaticos in pravoslavia, praeter sectas alienae doctrinae de Ecclesiae novam magnam tristitiam et curam infligunt pravoslaviae. Propterea ardenter petit, ut vox Patris Pauli ab his, quibus cura et defensio ecclesiae pravoslavae concredita est, audiatur.¹⁴ Ita factum est. Nihil curans de protestatione non-nullorum doctorum membrorum, nihil curans de recensione fausta episcopi Vissarionis, qui eam revocare noluit, Sancta Synodus laborem secunda vice recensem metropolitae Moscoviensi Sergio (Ljapidevskij) dedit, qui inopinate adiutus ab episcopo Silvester, qui rector Academiae ecclesiasticae in Kiev fuerat, in libro Akvilonovi valde periculosum rationalismum invenit.

Contra omnes obiectiones Akvilonov respondit.¹⁵ In suo responso defendit quidem suas propositiones primarias, sed caute vitat obiectiones, insuper, pressus a suis adversariis negat quaedam e primo suo opere. E. gr. archimandrita Pavel obiectionem facit eum stare contra definitionem catechismi (Br. Slovo 558). Respondit Akvilonov non esse verum.¹⁶ Obiectum sui laboris esse tantum scientificas definiones et quidem theologorum non pravoslavorum,¹⁷ quae sunt in scientificis tractatibus, non in catechismo. Attamen eandem definitionem esse in catechismo quam et in operibus theologicis adnotari potest... Similis definitio apud catholicos sicut apud plurimos pravoslavos tunc temporis

¹³ Братское Слово 1894, II, pag. 558—567.

¹⁴ Ibidem, pag. 557.

¹⁵ In Христіанське Чтеніе 1895, I, pag. 431—455.

¹⁶ Ibidem, pag. 431—434.

¹⁷ Contra hoc. cf. Церковь, pag. 117.

proponebatur.¹⁸ Est ergo purum tentamen effugiendi et vitandi obiectionem vel sese iustificandi.

Instigator Akvilonovi prof. Katanskij, qui sat magnum influ-
xum habuit in Akvilonovum suis scriptis valde anticatholicis,
praesertim contra Primum papae, simul in nonnullis elucubra-
tionibus sententias sui discipuli adiuvabat.¹⁹ Sed incassum. Akvi-
lonov privatus est gradu magistri, quem ei iam Academia ecclesi-
astica contulerat et coactus est ad secundam novam dissertatio-
nem scribendam.

Iam 1. Martii 1895 magnam partem scripsit sub titulo: Cerkov Christova v dělě našego spasenija.²⁰ Mense decembri eiusdem anni ecclesiastica censura petropolitana suum „placet“ dedit,²¹ anno sequenti 1896 liber editus est sub titulo: Novozavětnoe uče-
nie o Cerkvi. Opyt dogmatiko-eksegetičeskago izslědovanija. 167
paginae.²² Obiectum huius laboris sicut primi fuit Ecclesia sensu
latiore. In hoc opere magis positive evolvit doctrinam de Eccle-
sia-corpore Christi, quae fuit obiectum secundae partis primi ope-
ris, omittendo fere omnino propositiones contra definitionem Ec-
clesiae per conceptum societatis.

c) *Defensio dissertationis secunda vice.*

9. Iunii 1899 in eadem aula Academiae ubi quinque annos ante magistrale colloquium Akvilonovi locum habuit. Etiam tunc coram multo publico, metropolita, professoribus. Sermo magistrantis evolutionem suaे dissertationis, explicationem thesium et argumen-
torum continebat.²³ Nunc multum ubique terrarum loquuntur de Ecclesia, tali modo prosecutus est, et peculiare „interesse“ in toto

¹⁸ Cf. Kotsunskij in Xp. Чтеніе 1895, II, pag. 62 s: in catechismo datur eadem scientifica definitio sicut in operibus dogmaticis.

¹⁹ Церковный Вѣстникъ 1894, pag. 657—659; 689—692: О научно-бого-
словскихъ определеніяхъ церкви. — О постановкѣ трактата о Церкви въ
наукѣ доктрина богословія: тамже 1895, № 15, 457—463; № 16, 489—
496. — О Главѣ церкви Христѣ Спасителѣ и Духѣ Св. Параклисѣ: тамъже
№ 18, 553—560.

²⁰ Publicavit in Странникъ 1895, I, pag. 673—697; postea separatim edi-
tum.

²¹ Церковный Вѣстникъ 1896, 947

²² Hanc primam editionem non potui prae manibus habere, sed solam se-
cundam editionem sub eodem titulo, 1904, paginae 191.

²³ Церковный Вѣстникъ 1899, col. 887—894.

mundo christiano appareat. Si analogiam historicam respicimus, in futuro ampliores elucubrationes de Ecclesia fient.

Doctrina theologica debet talem definitionem dare, quae cum rectitudine scientifica doctrinam pravoslavam explicaret. Bene prof. Korsunskij loquens de definitione Filareti distinguit formulam in catechismo a scientifica, theologica: illa est popularis instructio, haec autem doctrina scholae. Differentia inter unam alteramve semper necessario attendi debet. Obiectum nostrae dissertationis est *dogmatica* definitio conceptus Ecclesiae.

Incipit disputatio de opere Akvilonovi. Extraordinarius prof. A. Bronzov laudat auctorem, quod multum utile pro theologica doctrina dogmatice scripsit. Non puram inquisitionem e ratione protulit, sed omnia solidis argumentis et auctoritate Patrum, conciliorum oecumenicorum et librorum symbolicorum graeco-orientalis pravoslavae ecclesiae fulsit. Citat etiam auctores aliarum confessionum, sed obiter tantum vel ad confirmandam rem, quam aliunde iam probatam habet. Akvilonov multum laboravit, non tamen serviliter a fontibus dependet, sed proprie originalem aspectum sibi servavit. Ita positum est ab eo in nostro casu solidum fundamentum, quod a posterioribus non potest ignorari.

Secundus recenses, docens P. I. Leporskij post aliquas annotationes se primo recensenti quoad laudes in favorem magistrantis adiunxit.

Tunc senatus academicus defensionem sufficientem invenit simulque petitio ad metropolitam missa est, ut ipse a Sancta Synodo approbationem Akvilonovi in hoc gradu humiliter rogaret. Die 24. Iunii 1899 Sancta Synodus, postquam optimam relationem de dissertatione a Gurij Ochotin, postea archiepiscopo novgorodensi, audierat, Akvilonovum in gradu magistri theologiae approbavit sicut dicit diploma 4. Octobris 1899 ab Academia ecclesiastica petropolitana editum.

In Strannik P. Ja. Světlov,²⁴ prof. universitatis in Kiev, sat longam descriptionem libri Akvilonovi dat, ubi eum laudibus extollit dicens eum multas profundas sententias in campo dogmatico afferre. Quod magis in comparatione cum aliis operibus eiusdem thematis elucet. Bonam definitionem dogmaticam dat; scribit ta-

²⁴ Странник 1896, III, pag. 320.

men cum timore, ne parum intelligentiae et assensus inveniat. Haec peculiaritas causas habet nunc temporis in variis circumstantiis laborem scientifico dogmaticum spectantibus. Multi inimici insurgunt, sunt quaedam falsa criteria discretionis, quae axiomatum et regularum instar circulant . . . Aliud plus eius operis: omnia apud eum logice, organice e Scriptura, e Patribus evolvuntur. In profundum quaestionis penetravit, dum Ecclesiam in relationem cum Redemptore posuit.

Primus liber Akvilonovi multas disputationes scientificas, ut iam dictum est, vel inter professores vel etiam inter alios viros doctos excitavit. Ab anno 1894 multa inveniuntur de definitione Ecclesiae. Sic in multis coetibus nationalis eruditio Mosquae a. 1895 haec quaestio pertractata est,²⁵ cum maiori minorique effectu, nam secundum nonnullos quaestio de definitione Ecclesiae eiusque conceptus determinatione manebat sicut prius aperta (opytnyj) et indissoluta.²⁶

Relationem ad opus Akvilonovi habet etiam bonus articulus instructivus professoris Korsunkij.²⁷ Aliam sententiam quam Akvilonov retinet. In catechismo Filareti non solum pro pueris descrip-
tio datur, sed adest ibi vera scientifico-dogmatica definitio Ecclesiae sicut apud alios traditionales pravoslavos viros legimus: Ecclesia est a Deo instituta societas hominum inter se coadunatorum fide pravoslava, lege divina, hierarchia et sacramentis. Quae definitio est universalis, praedominans, communis, propterea eam Filaretus primo loco initio catechismi posuit.²⁸ Formula catechis-

²⁵ Cf. Vengerov, pag. 320.

²⁶ Multae particulares quaestiones disputabantur. Sic e. gr. A. Ivanov Богословський Вѣстникъ 1896, a mosc. Academia ed., decembr., pag. 343—355, in articulo „О церкви небесной“ quaestionem utrum angelii ad Ecclesiam Christi pertineant, discutit. Concludit angelos ad Ecclesiam Christi sensu latiori sumptam simul cum hominibus pertinere.

Aliter Svѣtlov I. c. pag. 178, putat angelos ad Ecclesiam — corpus Christi non pertinere. Finis Ecclesiae est redemptio vel applicatio redemptionis hominibus; angelii autem sunt sine peccato nec redemptione indigent.

²⁷ In Христіанское Чтеніе 1895, II, pag. 47—90.

²⁸ Korsunkij iterum atque iterum repetit definitionem catechismi esse „ближайшее, всеобщее и господствующее определение“.

mi est granum, ex quo omnis scientifica tractatio crescere debet, est firmum fundamentum evolutionis dogmaticae.

Haec sunt quaedam adnotationes historicae de opere „Cerkov“. Ergo non omnes theologi in Russia sententias Akvilonovi acceperunt, nec omnes eius propositiones reiecerunt.

d) Scopus auctoris.

Si quaeritur, quidnam sibi Akvilonov quasi problema solendum in suo opere Cerkov proposuerit, secundum eius sententias generatim ita respondendum est: Rationes dare et evolvere doctrinam pravoslavam de Ecclesia,²⁹ prout in Sacra Scriptura et Patribus appareret et ipsa ratione sana probatur. Dissertatio in duas partes dividitur, in negativam et positivam. Ante omnia definitiones catholicorum et protestantium propter earum influxum in ecclesiam pravoslavam confutare vult: haec ex parte negativa. E parte positiva auctor sibi scopum proposuit doctrinam s. Pauli de corpore Christi evolvendam.³⁰ Nos sumimus praesertim primam negativam partem operis sicut et titulus laboris indicat,³¹ ibi enim fere omnes sententiae eius continentur. In secunda parte potius citationes e Scriptura et Patribus variis sub aspectibus cumulat quoad doctrinam nihil novi proferrens.

e) Fontes ab Akvilonovo adhibiti.

Opus Akvilonovi non est omnino originale, sed multa argumenta, quae sive a protestantibus sive ab orthodoxis contra doctrinam catholicam prolata sunt, collegit et permiscuit in suo libro

²⁹ Церковь, pag. III.

³⁰ Vide pag. 29.

³¹ Nostram attentionem maxime primum opus Akvilonovi „Cerkov“ occupat — utique semper respectu habito ad omnes eius labores, ibi tamen non explicitae quaestiones ecclesiologicas solvit, sed tantum obiter pertransennam tangit — nam postea in secundo opere „Novozavětnoe učenie“ auctor pressus circumstantiis, ut supra monstratum est, paululum mitigavit suam sententiam concedendo Ecclesiam esse societatem. Scribit enim: „Ecclesia certe societas credentium est et non potest non esse societas. Tamen simus illa ab omnibus aliis societatibus distincta est e. gr. a familia, re publica etc. una, sed substantiali et ei soli conveniente proprietate: unica tantum Ecclesia est societas fidelium in corpus Christi connexorum vel corpus Christi efficientium“ Новозавѣтное учение о Церкви, pag. 65). — Haec concessio ex opportunitate propter causas externas potius ad gradum magistri adipiscendum facta esse videtur.

cum citatis permultis, e s. Paulo praesertim, et deinde Patribus desumptis.

Auctor in 40 paginis historiam scientificae et systematicae doctrinae de Ecclesia insinuat.³² Nec Scriptura Novi Testamenti, nec viri apostolici, Patres et scriptores ecclesiastici doctrinam systematice evolvunt; tantum per partes circumstantiis adducti variis in locis quaestionem de Ecclesia solvunt. Laudandus est Akvilonov in suo libro additamentum locorum talium opus suum spectantium³³ in originali graeco vel latino cum versione russa adiecerisse.

1. Fontes patristici.

E Patribus et scriptoribus ecclesiasticis primorum saeculorum citatur ab Akvilonovo imprimis: s. *Clemens Romanus* (ep. ad Cor.), s. *Ignatius Antiochenus* (ep. ad Ephesios, Magnesios, Trallianos, Smyrn.), s. *Polycarpus* (ep. ad Philip.), *Pastor Hermae*, s. *Iustinus Martyr* (*Apologia I*, *Dial. cum Tryphone*), s. *Theophilus Antiochenus* (ad *Autolycum*), s. *Irenaeus e. Ludgunensis* (*Adversus haereses*), *Clemens Alex.* (*Stromata*: „Ecclesia terrestris est imago Ecclesiae coelestis“ — cuius platonismus certe in conceptum Akvilonovi de ecclesia influxit. *Paedagogus*); *Origenes* (*contra Celsum*, *De oratione*, *De principiis*); *Tertullianus* (*De praescriptione haereticorum*, *De baptismo*, *De poenitentia*, *Adversus Iudeos*, *Adversus Praxeam*, *De carne Christi*). Maxime autem e Patribus s. *Cyprianus Carthagiensis* adhibetur (*De unitate ecclesiae*, *De lapsis*, *De oratione dominica*, e sententiis conc. *Carthag.* de baptismate haereticorum, *Epistulae*).

2. Fontes catholici.

Medio aevo durante pugna contra reformatores doctrina de Ecclesia evoluta est. Cum e parte catholicorum tum protestantium multa opera scripta sunt, quae tamen caute adhibenda sunt, ne errores minimi quidem et non statim apparentes in doctrinam pravoslavam irrepant.³⁴ Concedit tamen auctor se apud non pravoslavos quidquid profundum vel serenum invenisse, originales

³² Церковь, pag. 29 ss.

³³ In fine libri addidit: 32 paginae.

³⁴ Церковь, pag. 30—34.

constructiones theologicas sumpsisse. Magni laboris opus Akvilonovi esse constat ex multis libris adhibitis.³⁵

Multos Johann Adam Möhler per interpretationem novam, originalem dogmatis catholici, unus e maximis repraesentantibus scholae Tübingen, historicus et theologus germanus (1796—1838) attraxit.³⁶ Sub influxu romantismi ad mysticismum aliquantulum inclinavit et in reactionem contra cursum philosophiae Hegel scripsit. Ecclesia apud Möhler considerata est ut organismus vivus (quod maxime placet nostro Akvilonovo), quae impulsum vitalem a suo fundatore recepit et in continuum novas formas novasque ideas exinde assumit. Sine dubio impressionem magnam in catholicos, sed etiam acatholicos ad studium peculiaritatis catholicismi imbuendum impulit. Nil mirum, si Akvilonov eum profundum in sententiis, praecisum theologum praedicat, qui modo scientifico suam Symbolik revera ad mentem Patrum primorum saeculorum scripsit.³⁷ Certe aliquis influxus etiam in nonnullos theologos russos³⁸ cerni potest. Akvilonov saepe saepius usus est libro Möhler (Symbolik), nam hanc dissertationem magnae utili-

³⁵ Ibidem, pag. 62—70.

³⁶ Opera eius: *Die Einheit in der Kirche oder das Prinzip des Katholizismus*, dargestellt im Geiste der Kirchenväter der drei ersten Jahrhunderte. 2 Auflage. Tübingen 1843.

Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestantten . . . 10 Auflage. Mainz 1888.

Neue Untersuchungen . . . Mainz 1834.

De Möhler vide: St. Lösch in Lexikon für Theologie und Kirche (Mich. Buchberger) 2 Aufl. 1935, Bd. 7, col. 256—257.

A. Fonck in Dictionnaire de Théologie catholique, X, 2048—2063.

P. Chaillet l. c.

³⁷ „. . . c'est précisément l'étude approfondie des Pères et de leur idéal de charité catholique qui produisit en Moehler ce dynamisme spirituel, grâce auquel sa pensée, se purifiant des derniers vestiges du fébronianisme céso-papiste, arriva à la plénitude de la Symbolique, au seuil du Vatican” (L'Église est Une, pag. 280).

³⁸ Sic. scribit. Vlad. Solovjev: „Разумеется, это понятие о Церкви, какъ о дѣйствительномъ существѣ, не было безусловно искысмъ открытиемъ нашихъ славянофиловъ. Твердое основаніе для этой мысли находится въ св. Писаніи, особенно у св. Павла. Слабо развитая въ твореніяхъ отеческихъ, потомъ забытая и католическою и протестантскою, эта идея была въ настоящемъ столѣтіи возстановлена и прекрасно изложена нѣкоторыми гер-

tatis theologo pravoslavo quoad essentiam Ecclesiae imprimis esse posse, ipse fatetur.³⁹ Obicit ei Akvilonov, etiamsi prope doctrinae Apostoli de corpore mystico accessisset et longe staret a Bellarmino et Perrone, tamen eum traditionali voce „societas“ usum esse.

Fonck eum, nempe Möhler, aliquantulum coloribus nigris depingit scilicet: magis extollit perceptiones pulchras, analysis quam praebet, non est exacta, experimentiam religiosam inculcat.. „Möhler fuit praecursor insonscius modernismi catholici“⁴⁰ utique boda fide... Haec conclusiones durae debent nitigari, sicut ultimis annis plures auctores agnoscant.

In antecessum adnotari debet Möhler non esse auctorem facilem ad legendum: magna cum cautela explicandus est ex omni contextu historico, culturali et philosophico, ne in errorem illabamur.⁴¹ Conceptus mysticus, organicus catholicismi ibi rationalismo naturalistico et individualistico, qui mysteria Ecclesiae impugnat, opponitur. „Omnia quae Ecclesia in vita interna et externa producit, ab actione mysteriosa Spiritus Sancti apud Möhler derivantur.“⁴²

Haec originalis dissertatio est, quae non tam apparentiam iuridicam quoad modum tractandi dogmaticam praebet, sed potius

манскими богословами (Мёлеръ)“. — Собрание сочинений Владимира Сергеевича Соловьева С. — Петербургъ. Томъ IV. стр. 223

Inveniuntur quidem similes ideae apud Chomjakov et Möhler, sed utrum omnes ab hoc theologo germanico derivatae sunt, alia quaestio est. Potius cum Nikolaj Berdjaev dicere licet: „Вл. Соловьевъ несправедливо умаляетъ оригинальность Хомяковского богословия ссылкой на Мелера. Славянофильская богословская идеи во всякомъ случаѣ не были заимствованы у Мелера“. (Николай Бердяевъ, Алексѣй Степановичъ Хомяковъ, стр. 10, adnot. 1.) — Cf. Флоровский, Пути русского богословия, стр. 274—281; vide et: L'Église est Une, pag. 273—283 („Akvilonov connaît les ouvrages de Moehler mieux que Khomiakov. Il étudia la Symbolique aussi bien que l'Unité; on ne pourrait en dire autant des autres théologiens pravoslaves“, — Ibidem, 274).

³⁹ Cf. Церковь, pag. 35—36.

⁴⁰ In (Vacant) Dictionnaire de Théologie catholique, X, 2063.

⁴¹ Chaillet, Introduction in Moehler, L'unité... pag. XXIX.

⁴² „...un liaison d'ordre vital, existentiel et historique, commande la croissance, le dynamisme de cette vie communautaire“ (Chaillet, pag. XXVIII).

monstrat, quomodo catholicismus secundum necessitatem rigorosam logicae internae evolutus sit.⁴³ Methodus dogmatica evolvendi doctrinam de Ecclesia magis catholicos pravoslavis appropinquat et viam sternit consensui mutuo. Opus illud (Symbolik) classicus liber et eximius est,⁴⁴ nam idea Ecclesiae uti continuationis Christi Incarnati nos ad plenum conceptum Ecclesiae, organismi theandrici, illud verbum „organismum“ tam ab Akvilonovo amatum,⁴⁵ adducet.⁴⁶

Alius theologus catholicus (1846 factus est catholicus) sat emines, quamvis laicus, multis in locis ab Akvilonovo adhibetur: Friedrich Pilgram (1819—1890).⁴⁷ Primum in idealismo philosophico eruditus postea theologus factus est. Praecipuum opus „Physiologie der Kirche“ ab Akvilonovo laudatur, nam vivis aspirationibus respondet; utilis compositio, nam essentiam Ecclesiae et proprietates bene describit. Laudatur ab Akvilonov quia locum priorem nominationi „corpus Christi“ dederit (sed inconvenientiam sicut catholicus in propositione: „Ecclesia est societas credentium“ admisisse dicitur). Pilgram contra spiritualismum protestanticum stat. Ceterum principium unitatis vario sensu sumptum in ecclesiologiam applicat.

Nec oblivioni tradi debet unus ex praecipuis fontibus catholicis,

⁴³ „Dans cette unité organique tout se tient, le tout commande la liaison des parties, chaque partie est responsable du tout; les doctrines sont entre elles dans un rapport nécessaire de continuité historique et de synthèse dynamique“ (ibidem pag. XXXIX). Revera „Moehler nous mène au cœur même de la vie dogmatique de l’Église“ (ibid.).

⁴⁴ „La Symbolique de Moehler reste pour les catholiques un livre classique“ (ibid. XXXVIII). Et alibi „l’oeuvre maîtresse de Moehler, la Symbolique“ (XXXVII).

⁴⁵ Strannik 1894, I, pag. 641.

⁴⁶ Vide etiam bonum articulium a M. J. Congar in Irénikon XV, 1938, pag. 113—130; est magna utilitatis pro omnibus, qui labori unionistico practico operam dant.

Cf. G. Thills, Le centenaire de J. A. Moehler (Ephemerides theologiae Lovanienses 1938, fasc. 3, pag. 521—525). De Chaillet dicit „une excellente introduction“.

⁴⁷ Cf W. Becker in Lexikon für Theologie und Kirche (Buchberger) VIII. Band, 2. Aufl., Freiburg i. Br. 1936, col. 280.

quos citat Akvilonov, quos per partes reicit, scilicet s. R. Bellarminus;⁴⁸ agitur praesertim de illa definitione. Similiter ad doctrinam catholitam cognoscendam servit ei prof. Perrone⁴⁹ (1794—1876), ex quo doctrinam catholicam eiusque defectus exprobrat. (Hi auctores duo citati in parte de visibili capite, vicario Christi, maxime Akvilono praesto sunt; quod nos singulariter non tractamus, quia tales obiectiones communiter theologi russi proponunt; et potius sunt consequentiae societatis: si societas agnoscerentur Ecclesia, potius caput supremum visibile admitteretur. Nam Akvilonov et alii recentiores theologi pravoslavi conceptum societatis applicare Ecclesiae nolunt — haec una ratio videtur — ut fundamentum Primatus romani Pontificis amoveant. Controversia principalis nempe de Primatu est, quo concesso etiam ceterae affirmations erroneae facilius corrigi possent).

3. *Fontes protestantici.*

Liberalis protestanticus prof. in Wittenberg August. Joh. Dorner multas etiam sententias⁵⁰ habet pro nostro Akv., qui errores eius liberalismi caute vitat, convenientia autem sibi avide accipit. Nam Dorner translationem conceptus rei publicae in Ecclesiam reicit; nec institutio nec societas credentium est Ecclesia.

Alia opera iam antiquata citantur: Richard Rothe⁵¹ et simul Petersen August⁵² qui primum explicat. Ambo sunt discipuli Schleiermacher et Hegel. Praesertim Rothe, materialista, vix christianus nominari potest; negat spiritum supernaturalem; opus eius pantheismum sapit. Protestans Kliefoth⁵³ ad catholicas sen-

⁴⁸ Akvilonov adhibet: Disputationum... de controversiis christiana fidei adversus huius temporis haereticos. T. I—II. Venetiis 1721.

Cf sis, de Bellarmino: X. Le Bachelet in Dictionnaire de Théologie catholique, II, col. 560—599.

⁴⁹ Perrone J., S. J., Praelectiones theologicae. Tomus posterior. Parisiis 1842. — Vide de eo: Ch. Boyer in Dictionnaire de Théologie catholique, XII, 1255—1256.

⁵⁰ Kirche und Reich Gottes, Gotha 1883.

⁵¹ Die Anfänge der christlichen Kirche und ihrer Verfassung. 1. Band. Wittenberg 1837.

⁵² Die Idee der christlichen Kirche. 1839—46.

⁵³ Kliefoth Th. Dr., Acht Bücher von der Kirche. 1. Band. Schwerin und Rostock 1854.

tentias inclinat. Habet conceptum Ecclesiae per organismum expressum, quod Akvilonovo placet.

Ad cognitionem extremae lutheranae doctrinae inservit ei *Jul. Köstling*;⁵⁴ secundum *Müller*⁵⁵ non potest admitti invisibilitas Ecclesiae.

Mentione indiget etiam *Thiersch*,⁵⁶ qui peculiaris defensor Irvingianismi exstitit.⁵⁷ Resonantia quaedam huius chiliastico-pietisticae sectae etiam in Russia aderat. Non solum adventum vicinum Christi, sed etiam renovationem donorum Spiritus Sancti et charismaticorum officiorum ut in ecclesia primaeva exspectabant. Hoc elementum spirituale etiam a Thiersch (qui sub influxu Schelling et Schleiermacher erat) contra iuridicam institutionem hierarchiae inculcabatur.

4. *Fontes orthodoxi.* —

Inter orthodoxos adnumerari potest *I. I. Overbeck*,⁵⁸ natione germanus, vitam in Anglia degebat, ceterum magnus fautor ecclesiae pravoslavae evasit.⁵⁹ Opera eius sunt series articulorum ad pravoslaviam defendendam, catholicismum protestantismumque reiciendum. Auctor plene et exacte, secundum Akvilonovum,⁶⁰ positivam ideam pravoslaviae exponere conatus est. Quapropter laudatur ab eo quod doctrinam pravoslavam de vita ecclesiastica,

⁵⁴ Das Wesen der Kirche. 2. Aufl. Gotha 1872.

⁵⁵ Die unsichtbare Kirche. In „Dogmatische Abhandlungen“. Bremen 1870. Abh. V.

⁵⁶ Thiersch Heinrich (1817—1885), Vorlesungen über Katholicismus und Protestantismus. 1, Abth. 2, Aufl. Erlangen 1848.

⁵⁷ De hoc cf: A. Humbert in Dictionnaire de Théologie Catholique, VII, 2566—2570.

⁵⁸ Opera eius: Libellus invitatorius ad clerum laicosque romano catholicos. Halis saxonum 1871.

Die orthodoxe katholische Anschauung. Halle a. S. 1865.

Безспорные преимущества православной кафолической церкви перед всеми другими христианскими исповеданиями (Христианское Чтение 1882, I, 776—798; II, 176—207, 385—413. 1883, I, 56—114, 407—445). — Ex hoc opere Akvilonov multum hausit, maxime in partibus polemicis contra catholicos et protestantes.

⁵⁹ Энциклопедический Словарь, томъ XXI (42), Петербургъ 1897, стр. 655.

⁶⁰ Церковь, стр. 34.

i. e. de organico processu, qui ab intus Ecclesiae procedit, bene romano-catholicis eorumque erroribus contraponit.

Praeter metropolitam Moscovensem *Filaretum*⁶¹ cum suo catechismo et ducem slavophilorum *Chomjakovum* e russicis theologis maioris notae, qui adhuc traditionalem doctrinam orthodoxam praebent, est ep. *Silvester*, rector Academiae in Kiev. Praesertim eius opus dogmaticum et doctrina de Ecclesia secundum Patres in primis tribus saeculis⁶² ab Akvilonovo ut manuale bonum in operibus Patrum consideratur. Per totum opus Akvilonovi disseminatae sunt sententiae Silvestri.

Ex operibus profesoris *Katanskij* illud: „Characteristica pravoslaviae, romano-catholicismi et protestantismi”⁶³ compendium doctrinae de Ecclesia ab Akvilonov vocatur. Ibi legimus: „Generalis aspectus pravoslavo-dogmaticus in Ecclesiam in hoc continetur: pravoslavia nec elementum divinum in commodum humani immolat: nec humanum in favorem divini . . . videt in Ecclesia harmonicam synthesim (sočetanie) visibilis et invisibilis elementi, divini et humani, similem unioni Divinitatis cum humanitate in persona Dei-hominis” (pag. 7). Haec serena et parum aestimata sententia in theologia peculiare momentum in ecclesiologia pravoslava possidet, secundum Akvilonovum, ne in partem romano-catholicismi vel protestantismi inclinatio fiat.

J. *Mansvetov*⁶⁴ speciali attentione animi Akvilonovi gaudet. Nam e S. Scriptura qua fundamento plenam et systematicam doctrinam pravoslavam de Ecclesia eiusque proprietatibus construere vult (in quod etiam Akvilonov intendit: corpus Christi). Eius opus est manuale exegeticum locorum Scripturae; utique

⁶¹ 1. Разговоры между испытующимъ и увѣреннымъ. 2. изд. Москва 1833.

2. Слова и рѣчи. Томъ I.- V. Москва 1873—1885.

3. Начертаніе церковно-бibleйской исторіи.

4. Догматическое богословіе по сочиненіяхъ Филарета, м. Московскаго. Составиль А. Городковъ. Казань 1887.

⁶² Опытъ православнаго доктринального богословія. Том. IV. Киевъ 1889.
— Ученіе о Церкви въ первые три вѣка христіянства. Исторический очеркъ. Киевъ 1872.

⁶³ Характеристика православія, римскаго католичества и протестантства. (Христіанское Чтение 1875. I, 3—32.)

⁶⁴ Новозавѣтное ученіе о Церкви.

auctor non nimis probat, sed potius testimonia tantum enumerat.
Nec plura de parte historica, nam magis in parte dogmatica
insistendum est.

Continuabitur.

IMPEDIMENTA MATRIMONIALIA APUD BULGAROS UNITOS

Dr. Joannes Chrys. Jaroš, C. ss. R.

(Continuatio.)

Mixta religio nullum est matrimonii impedimentum, dummodo benedictio sacerdotalis locum habuerit. Coniugium cum Latinis metropolita tacite permittit, „ut paulatim ad Ecclesiam orthodoxam allicantur“.⁴¹⁷ Item matrimonium orthodoxae cum Armeno est invalidum, tamen non ex sese, sed propter non receptam coronationem.⁴¹⁸ „Latini“, ait Demetrius, „haeretici non reputantur, sed nobiscum coutuntur et orant“.⁴¹⁹ Proinde non vetat antistes Ecclesias eorundem adiri⁴²⁰ neque consecrata a Latinis azyma neque haec suscipientia et sacrificio servientia eorum vasa et consequenter neque sacras eorum stolas neque huiusmodi quidquam immundum pollutumque existimat.⁴²¹ Ita usque ad annum 1216. Postquam vero Latini Constantinopoli expugnata monasteria montis Athos in sinum Ecclesiae reducere conati sunt et nonnullis adquisitis „schisma“ inter monachos causaverunt, metropolita ad analogam interrogationem „Si necesse fuerit Graecos coniuges coronari a sacerdotibus Latinis ac postea benedici in Ecclesia nostra, quid agendum?“ respondet: „Nequaquam Graeci necessitatem habent, ut a sacerdotibus Latinis coronentur, sed unusquisque, in quo vocatus fuerit ordine, maneat in ipso, dicit sanctus Paulus Apostolus. Quodsi quis illa facere siverit (ut a Latinis coronetur), excommunicetur et sacerdos, qui post haec denuo talem benedixerit, deponatur; non enim miscenda sunt impura puris, sed discernenda sancta a pollutis“.⁴²² Etiam monachos Iberos, qui ad Latinos accesserunt, excommunicandos censet.⁴²³ Nihilominus quia „haereticorum quoque ordinationes ($\chi\epsilon\iota\sigma\tau\omega\iota\alpha\iota$) ab orthodoxis recipiuntur (seu validae agnoscantur) iuxta Pa-

trum traditionem, si orthodoxi sint vel fiant, qui ab iis ordinantur",⁴²⁴ a pari qua valida matrimonia christianorum benedicta a sacerdote valide ordinato non „orthodoxo“ recipiuntur. Eiusmodi coniugia sunt igitur secunda regulae generalis exceptio: „ea quae lege fieri prohibentur, quodsi facta fuerint, non solum inutilia, sed pro infectis habenda sunt“ Quotiescumque de matrimonio celebrando agebatur, vix unquam dispensatio ab impedimento disparitatis cultus concessa est. Unum ex responsis canonicis Demetrii loquitur quidem de legitimo matrimonio orthodoxorum cum Turco, videtur tamen agi de Turco converso ad christianismum (probabilius de V a r d a r i o t e): designatur enim ὁ τουρκογένης id est turca natione, origine.

Vix etiam ordinis impedimentum mere impediens consideratum est: nam Demetrius de filio spurio cuiusdam diaconi Michaelis Chrysobergae loquitur⁴²⁶ et alio loco de sacerdote deposito eo quod vivit cum concubina.⁴²⁷ Deest quidem indicatio rationis matrimonii irriti, utrum scilicet tantummodo propter defectum formae substantialis, an etiam propter impedimentum ordinis ipsum matrimonium consideratum sit nullum. Quia tamen Demetrius in impedimentis stabiliendis primarie semper ad leges civiles provocat, in his autem impedimentum ordinis semper quod dirimens existebat, absque dubio etiam Chomatenus illud dirimens reputat. Ex altera parte non arcet (sicut Balsamon) mulierem diaconi aut presbyteri legitime divortiatam ab ulterioribus nuptiis.⁴²⁸

Praeter professionis religiosae impedimentum, quod est dirimens et indispensabile (cauto tamen ut libere „quis tondeatur“)-⁴²⁹ christiani tempore Demetrii Chomateni etiam votum ingrediendi religionem emittere solebant, praesertim in mortis periculo, qua in re synodus Achridana saepius oeconomiam seu voti absolutionem vel potius minoratam eiusdem compensationem concedebat.⁴³⁰

Nullam innovationem relate ad impedimenta polygamiae successivae, adulterii et fortasse ne raptus quidem Demetrius induxit. Uxor adulterii condemnata, ut pignus impedimenti perpetui et absoluti servandi haberetur, in monasterium detrudi cogebatur.⁴³¹ Mirandum tamen nostrum nunquam

loqui de raptu. An fortasse hic abusus in Macedonia iam evanuit?! Hoc difficilime praesumere possumus, cum usque ad secundam medietatem saec. XIX raptus, praesertim in Macedonia occidentali (i. e. in Dioecesi Achridana), nequaquam fuerit phoenomenon inauditum. Imo certum est mores populi in Macedonia et Bulgaria occidentali per invasionem Pecenegorum et Cumanorum gentium stirpis Turcicae, quae saec. XI (Pecenegi) et XIII (Cumani) cum Bulgaris misceri cooperunt,⁴³² de novo dechristianisatos et efferatos evasisse. Praeterea adhuc post centum annos (a. 1349 et 1354) Stephanus Dušan, Serbiae rex, cuius imperium ad Makedonię extendebatur, crudelibus poenis raptum ut crimen persequitur.⁴³³ Quodsi nihilominus Demetrius de impedimento raptus sileat, quodsi ne unus quidem episcopus aut monachus, confessarius seu pater spiritualis de hac re dubium moveat, praesumendum est Ecclesiam Achridanam ne in medio aevo quidem leges Byzantinas et Romanas contra eos, qui mulieres intuitu matrimonii rapiunt, recepisse.

Qui cum muliere cohabitat, quin coronationem receperit, concubinarius cum omnibus consequentiis in iure ecclesiastico et civili reputatur, i. e. a sacramentis recipiendis repellitur nec ab ipso dona Ecclesiae oblata recipi possunt, filii, quos ex tali coniunctione procreavit, spurii sunt tenuemque hereditatem consequuntur etc.⁴³⁴

Post Demetrium Chomatenum de novo clauditur liber historiae iuris matrimonialis scripti in archiepiscopia Achridana usque ad medietatem saeculi XIV seu usque ad Archiepiscopum Gregorium (1348—1378). Conservatum fragmentum consultationis canonicae de praesumpta tetrageneja, dum e contra casus solvendus erat de affinitate ex tribus generibus, insanam exaggeratamque impedimentorum cognitionis extensionem demonstrat. Revera etiam de disciplina Achridae valet illud dictum quod iam Joannes Commenus in suum Nomocanonem rettulit: „Incestus multifarius est sexcentasque personas amplectitur neque quantum qualisque sit a multis, licet scripto, cogitari vel discerni aut etiam dinumerari potest“.⁴³⁵


Coram Synodo Achridensi Gregorii Metropolitae tempore quaedam Theodora, filia Maclabite, apparuit et retulit: „Pater

meus in primum matrimonium uxorem duxit filiam certi Isaac, cuius alia filia seu soror primae uxoris patris mei nupsit Mrētro, ex quo coniugio natus est Theodorus. Postquam Theodora nupsit Theodoro, episcopus Pelagoniae et Prilepi dubia movit de matrimonii validitate illudque dissociari voluit. Theodora provocavit autem ad secundam instantiam Achridensem. Metropolita cum synodo decidit: non constare de matrimonii nullitate in casu, quia intercedit inter sponsos affinitas ex quatuor generibus, quae impedimentum non constituit. „Ceteroquin etsi trigeneia locum haberet“, subiungit archiepiscopus, „matrimonium sustinetur secundum Basilicalia“.

⁴³⁶ Signum indubium: metropolitas Achridanos ulteriores extensiones huius impedimenti usque ad tertium imo et ad quartum gradum ab interpretibus Byzantinis factas et in iurisprudentia a Patriarchis Constantinopolitanis receptas⁴³⁷ non agnovisse, quia nulla lege civili confirmatae sint.

In secunda medietate saeculi XIV (1334—1393) archiepiscopia Achridana sub adspectu politico Imperio Serbiae adlecta est, autonomia ipsius ecclesiastica relictā in statu quo.⁴³⁸ Proinde codex regis Stephani Dušan bis promulgatus (a. 1349 et a. 1354), in quo aliquae dispositiones de matrimonio christianorum habentur, non obtinuit de iure pro disciplina ecclesiastica; poterat vero influxum exercere de facto et quidem relate ad impedimenta: raptus, consanguinitatis, mixtae religionis (resp. disparitatis cultus) nec non respectu ad formam substantialem coniugii seu relate ad impedimentum clandestinitatis.

Dispositiones codicis Serbici medioaevalis hac in re sonant: art. 53 de violentia: „Si quis puellam vi rapuerit (intuitu matrimonii), manus ambae amissione plectantur et naso ipsi abscindatur“; art. 3 de coronatione sponsorum: „Ne unum quidem matrimonium sine coronatione contrahatur. Quod si quis nuptias absque Ecclesiae benedictione ac precibus celebratus fuerit, separetur (ex officio)“; art. 41 de consanguinitate relate ad successionem in bonis: „Proprietarius vita cedens, qui liberos non suscepit, aut si ipsius filii pre-



mortui sunt, ita ut post ipsius mortem hereditas vacans remanserit, ille succedet in bonis eius qui ex eodem stipite ortus est usque ad filios sobrinorum"; art. 10 de haeresi Latinorum: „Si quis semi-fidelis (= Latinus) christianam mulierem uxorem duxit, quotiescumque se rebaptizari sinet, in Ecclesia christiana matrimonium sustinetur. Quodsi baptismum recuset, et mulieres et filii ab eodem auferantur, ipse vero expellatur, omnibus bonis mulieri et filiis relictis.“⁴³⁹

Imperator Stephanus Dušan nullam innovationem sive directam sive indirectam in iure matrimoniali introducere voluit; properea enim severissime prohibuit, quominus magistratus civiles sese immiscerent negotiis ecclesiasticis,⁴⁴⁰ inter quae etiam causae matrimoniales adnumerabantur, sed imperator solummodo praxim ecclesiasticam hucusque in Serbia vigentem confirmare intendebat. Nihilominus istius regis codex aliqua revera nova, licet indirecte, introducebat: ita relate ad raptum, qui antea vix considerabatur ut crimen; relate ad consanguinitatem, quae in iure hereditario usque ad octavum gradum inclusive extenditur et denique relate ad matrimonia inter partem catholicam et orthodoxam, quae non admittuntur, nisi pars catholica „orthodoxiam“ professa sit. Ultima dispositio (de matrimoniis mixtis) in Bulgaria (respectively in Macedonia) non applicabatur; ibidem enim catholici non vivebant. Similiter nullum adest indicium extensionem iuris hereditarii ad filios sobrinarum applicatam esse impedimento consanguinitatis. Certe archiepiscopi Achridae lege contra matrimonia clandestina utebantur. Num etiam coniugiis inter raptam et raptorem propter crimen commissum benedictionem denegaverint, etsi de libero consensu utriusque partis constitisset, ignoramus. Certum est tantummodo raptum post quinquaginta annos, i. e. post occupationem territorii archiepiscopiae Achridanae a Musulmanis, denuo ex elenco criminum expunctum esse, nec ex sese matrimonii impedimentum constituisse.

Quodsi nunc synthetice historiam iuris matrimonialis in Archiepiscopia Achridana consideremus, fatendum revera est evolutionem illam apparere nimis saltuariam, praesertim in materia impedimentorum matrimonialium ex cognatione. Attamen vigente principio „Lex ecclesiastica nonnisi per legem civilem valorem

universalem acquirit“ et data continua immediataque communicatione non inter archiepiscopiam Achridanam et Patriarchatum Constantinopolitanum, sed inter ius ecclesiasticum Achridae cum iure Byzantino civili supponere licet: ius matrimoniale huius archiepiscopiae inde a Leone Metropolita (ab a. 1025) penetratum imo et dominatum esse in prima linea a novellis et codicibus aulae Byzantinae. Vicissitudines vero iuris matrimonialis saeculi decimi et partim undecimi, i. e. periodi, quae inter annos 969—1025 intercurrit, cum evolutione iuris Byzantino-Slavonici coincidunt, de quo statim.

§ 2. Relate ad ius matrimoniale Ecclesiae Constantinopolitanae legislatio et iurisprudentia Achridana tum principiis generalibus tum singulis quibusdam impedimentis differt.

Opinio quorundam canonistarum Orientis de supra et exclusiva potestate in matrimonia competente synodo Patriarchali Constantinopolitano in hac nostra archiepiscopia civitatem non est adepta: nam unam ex intentionibus, ut ita dicam, „vitalibus“ programmatis politico-religiosi archiepiscoporum Achridensium fuit: conservare propriae archiepiscopiae autocephaliam contra centralismum Byzantii. Propterea legislatio fontium integrantium seu decretorum synodalium Patriarcharum Constantinopoleos, quotiescumque ab imperatoribus non sit approbata, vigorem in nostra semper autocephala archiepiscopia non obtinuit, nisi in quantum expresse recepta est. Ita vidimus e. g. metropolitam Gregorium non recepisse posteriorem impedimenti affinitatis ex trigeneia extensionem, quia Basilicalia illam ignorarent. Plerumque enim archiepiscopi Achridani synodis Constantinopolitanis non participabant, sed in propria synodo permanente tanquam in secunda et ultima instantia causas matrimoniales ex bono et aequo decidere solebant. Ad rem Theophylactus in sua epistula XXVII ad Michaelem, Chalcedonis Episcopum, scribit: „Quaenam potestas est Patriarchae Constantinopolitano in Bulgaros, quando hic nullum ordinationis ius habet in Ecclesia Bulgara, quae sui iuris archiepiscopo potitur?“⁴⁴¹

Ne opera quidem iurisconsultorum Byzantii quidem multoque minus leges reliquorum Patriarcharum Orientis ab Archiepiscopis Achridae absque ulla contestatione recipiebantur. Ita De-

metrius Chomatenus metropolitam Dyrrhacii Constantimum Cabasilam monet: non solum beatissimi Patriarchae Antiocheni Theodori cognomine Balsamonis ad quaestiones Marci sanctissimi Patriarchae Alexandrini responsa facta, sed etiam omnia Balsamonis opera, quia nonnullas legibus sive ecclesiasticis sive civilibus exceptiones afferunt, ne consulantur nisi a viris in utroque iure valde peritis.⁴⁴²

Tertia differentia spectat principium de relatione inter potestatem civilem et ecclesiasticam relate ad constitutionem abrogationemque impedimentorum. Etenim dum in Ecclesia Constantinopolitana axioma „contra canones lex nihil valeat“ viget (licet tantummodo ex ratione quantitativa, ut diximus),⁴⁴³ archiepiscopi Achridae legem quandoque ipsis canonibus fundamentalibus preferunt, semper vero decisionibus synodalibus Patriarcharum Constantinopoleos. Quod caesaropapisticum principium: Imperatorem derogare posse etiam „scriptae et non scriptae traditioni ecclesiasticae“ explicatur non solum ex situatione politico-religiosa huius archiepiscopiae, sed etiam ex doctrina theoretica de potestate ordinis et iurisdictionis, quam explicat Demetrius Chomatenus. Metropolitae Achridani optime distinguebant inter utramque potestatem, erraverunt vero in distinctione inter limites iurisdictionis et limites competentiae, imperatori eandem qualitative iurisdictionem ac praesulibus ecclesiasticis adscribentes. Ita clarum est, cur decisio synodalis sive Constantinopolitana sive Achridana non adquisierit valorem universalem, nisi confirmata esset ab imperatore, qui competens est relate ad leges matrimoniales in utraque simul ecclesia autonoma.⁴⁴⁴

Quoad singula impedimenta non sunt agnita impedimenta raptus, quasi-affinitatis ex copula illicita, secundus, tertius et quartus gradus affinitatis ex tribus generibus; septimus gradus affinitatis ex duobus generibus, quae omnia in ipsa Ecclesia Constantinopolitana saeculo XIV. obtinuerant.⁴⁴⁵

Articulus II.

Ius matrimoniale ecclesiasticum in Bulgaria orientali.

Ius matrimoniale Byzantino-Slavum in Bulgaria orientali ab illo Byzantino puro archiepiscopiae Achridanae differt tum evo-

lutione tum evolutionis termino et quidem tam in principiis generalibus quam in singulorum impedimentorum extensione. Disciplinae matrimonialis historiam in hac provincia Bulgarica in quinque periodos dividere possumus:

1. Ius matrimoniale usque ad autonomiae ecclesiasticae a. 972 extictionem;
2. ius matrimoniale ab extincta autonomia ecclesiastica usque ad schisma definitivum a. 1054 (§ 1);
3. ius matrimoniale a magno dissidio orientali usque ad renovatam unionem et autonomiam ecclesiasticam denuo recuperatam a. 1204;
4. ius matrimoniale patriarchatus Tirnovitani uniti (aa. 1204 usque 1234) (§ 2);
5. ius matrimoniale a renovato schismate usque ad incorporationem Patriarchatus Bulgarici Ecclesiae Constantinopolitanae a. 1393—1453 (§ 3).

§ 1. Sicut in Ecclesia Constantinopolitana ita etiam in Bulgaria orientali maximam evolutionem impedimenta necessitudinis nacta sunt. Probabilius adhuc ante schisma addita sunt ad fundamentales nomocanones Byzantino-Slavonicos caput II Eclogae et caput VII Prochironis. Decennium, auctor, et ratio additionis determinari nequit. Certum est tantum additionem illam non esse inter annos 911—927 factam, nam propter continua bella Bulgarorum cum Graecis communicatio collectionum iuris Byzantini inter clerum Bulgaricum et Constantinopolitanum vix possibilis fuit.⁴⁴⁶ Sed ulteriores mutationes iuris matrimonialis Byzantino-Slavici factae sunt aut in periodo pacis duodeviginti annorum, quibus in Bulgaria sub imperatore Simeone vita litteralis floruerat (inter aa. 893—911), aut sub regno imperatoris Petris (927—968) voluntarii Byzantinorum quasi-vassalli, quo tempore influxus Byzantinus nullum in hierarchia obstaculum inveniebat, aut denique in Archiepiscopia Achridana 969—1025 sub aliquo ex primis archiepiscopis Bulgaris (Damiano, Germano, Philippo, Davide vel Joanne). Textus Slavonicus paucis ab originali Graeco differt:

Prima vice datur theoretica explicatio de graduum cognationis computatione modo sat populari.⁴⁴⁸

In determinatione tamen impedimentorum necessitudinis non adhibetur abstracta graduum enumeratio, sed plerumque personae in concreto enumerari solent.

Ita pro consanguinitate stabilitur: „In ascendentibus quidem in infinitum nuptiae vetitae sunt, etiamsi ex illegitimo orti sunt matrimonio... Etiam inter personas collaterales quaedam est prohibitio. Fratris enim mei aut sororis meae filiam uxorem ducere non licet, sed neque horum neptem, licet quarti sit gradus, ducere possum; similiter filiam patrui aut amitae aut avunculi aut materterae, id est patrualem aut consobrinam, sed nec filius meus illorum neptem, qui inter se sobrini appellantur...“⁴⁴⁹ Quodsi hae leges tanquam odiosae stricte interpretentur, nullum consanguinitatis impedimentum exstaret nec pro quinto nec pro sexto gradu, qui componitur ex quattuor et duabus aut ex quinque et uno „Eadem in cognatione servili sunt servanda“.⁴⁵⁰

Affinitatis impedimentum etiam ex sponsalibus oritur: „nec patris mei aut fratris mei sponsam, etiamsi illorum uxores factae non sint, ducere possum: illa enim novercae, haec fratriae vicem obtinet“.⁴⁵¹

Affinitas ex matrimonio (digeneia) non extenditur, introductum est autem impedimentum affinitatis ex trigeneia primi gradus: „neque privigni mei quondam uxorem duco, nec noverca nubit ei, qui privignae maritus fuit“.⁴⁵²

Pro cognatione spirituali valet norma: „Qui aliquam ex sacro baptismate suscepit, eam deinde uxorem ducere nequit, utpote filiam eius factam nec matrem eius filiamve, sed nec filius eius, siquidem nihil aliud paternum affectum et iustum matrimonii prohibitionem magis inducere potest quam tale vinculum, per quod Deo interveniente animae eorum coniunguntur“.⁴⁵³ Innovatio habetur relate ad filiam susceptae.

Adoptio non cognoscitur nisi civilis, Byzantina, quae tantummodo apud nobiles Bulgaros in usu erat et durante adoptione sicut impedimentum ex sanguine extendebatur;⁴⁵⁴ ipsâ vero solutâ impedimentum secundum gradum lineae rectae non egrediebatur.⁴⁵⁵ In adoptante et adoptato consanguinitatis (et cognationis, si opus erat), non vero affinitatis vincula respiciebantur, uxore alterutrius excepta. „Adoptivus filius etsi emancipatus eam uxo-

rem ducere non potest, quae adoptivi patris uxor fuit, sicut nec huius filii uxorem pater adoptivus, qui illum emancipavit, licet adoptio sit soluta neque familiam eorum contingat: illa enim novercae, haec nurus locum obtinet?“⁴⁵⁶

Adoptio in fratrem neque heic neque in ulla posteriore lege Byzantino-Slavica reprobatur. Anonyma chronica Byzantina saeculi XI enarrat fratrificationes praesertim apud pastores Bulgarios Rumenicae nationis in usu esse.⁴⁵⁷

Praeterea quattuor nova impedimenta introducuntur:

a) impedimentum raptus: „Qui virginem vel viduam rapuerit sponsam (= cum sponsa esset), eam uxorem ducere nequit nec consentiente illius patre et crimen condonante“⁴⁵⁸;

b) impedimentum tutelae: „Neque pater tutoris neque frater eius, qui sui iuris est, pupillam uxorem ducere potest (omittitur prohibitio pro filio et tutoris nepote)“⁴⁵⁹;

c) impedimentum curatelae: „Etiam curator mulieri aut eiusmodi bonis datus prohibitioni (ipsam uxorem ducendi) subiacet. Rationes enim reddere debet atque nihil interest, sive longo tempore administraverit, sive brevi.“⁴⁶⁰

d) impedimentum luctus „Quae intra tempus lugendi peperit, prohibetur adhuc ad nuptias venire. Et eorum qui lugentur viorum et qui non lugentur uxores, intra tempora luctus nubere prohibentur“ (in textu graeco secunda propositio praecedit primam.)⁴⁶¹

Illogicae modificationes omissionesque impedimentorum praedictorum inconvenientiam et incomprehensionem in Bulgaria indicant: nituntur enim institutis curatelae, tutelae, et luctus iuri Slavonico prorsus alienis.

Impedimentum adulterii in priore vigore retinetur ut iam in capite praecedente notavimus.⁴⁶²

Praeterea etiam in iure Byzantino-Slavonico fixa norma prouertur aetate stabilitur: „Apud christianos matrimonium fit inter virum et feminam, qui habent aetatem aptam ad copulam, id est pro viro post annum decimum quintum (incoptum) et pro muliere post decimum tertium (inceptum), dato consensu utriusque partis necnon eorundem parentum.“⁴⁶³

Anno 972 Bulgaria Orientalis una cum independentia politica

etiam autonomiam ecclesiasticam perdidit. Thracia, i. e. pars meridionalis, ad Patriarchatum Constantinopolitanum immediate adnexa est.⁴⁶⁴ Moesia seu pars septentrionalis tantummodo mediae, i. e. per Metropolitam Sillistrensem et quidem usque ad annum 1020, quo per chrysobulon Basili II Bulgaroctonis de novo Archiepiscopiae Achridanae incorporata est.⁴⁶⁵

Consequenter evolutio iuris matrimonialis in Thracia orientali (inclusive cum eparchia Philippopolensi) perfecte cum evolutione iuris matrimonialis in Ecclesia Byzantino-Constantinopolitana coincidit, uti etiam subscriptiones sententiarum et decisionum synodalium probant⁴⁶⁶ Metropolitae Philippoleos severiores quandoque ceteris synodi Constantinopolitanae membris sese ostendebant. Ita v. g. anno 1092 aut 1107, postquam Patriarcha Constantinopolitanus Nicolaus III Grammaticus una cum synodo acconsenserat imperatoriae permissioni matrimonii in sexto gradu affinitatis inter avunculum et fratis sororisve filium cum amita et fratis sororisve filia, „Deo clarus, metropolita Philippopolitanus die 15 Maii XV Indictionis quaestionem synodo proposuit, sitne eiusmodi coniugium licitum necne, quia id discere vellet et in posterum in sua eparchia observare. Et ad illius huiusmodi interrogationem responderunt omnes aliquatenus dubium esse contractum. Sed postquam potens et sanctus noster Dominus et Imperator iudicasset cum sacra synodo, quae in huiusmodi iudicio apparebant dubitationes, de eo cognovit et pronuntiavit; huic iudicio contradixit nemo, quod huiusmodi contractus nullo modo vetiti apparerent. Et haec quidem alii omnes . . . Philippopolitanus (Metropolita) a tomo Patriarchae domini Sisinii se impulsum esse dixit ad hanc interrogationem et in eo adhuc insistere et interpretationem requirere.“⁴⁶⁷ Propterea die 14 mensis Iunii Indictionis XV nova Synodus convocata est, in qua definitive de liceitate huiusmodi matrimonii decisum est. „In quibusdam videbantur habere quaedam dubia, sed nunc omnes unanimiter responderunt et affirmarunt se idem per omnia sentire, quae prius pronuntiata et subnotata sunt a piissimo et sancto nostro Imperatore et sanctissimo nostro domino oecumenico Patriarcha et sacrosancta synodo nihil amplius in ullo contradictentes, quasi vetiti appareant hi contractus“.⁴⁶⁸

Celeberrimus tomus Sisinii Patriarchae, ad quem metropolita Philippoleos provocavit, absque dubio etiam in Moesia inferiore receptus est. Deest quidem subscriptio metropolitae Sillistrensis (= Dristrensis) seu Theodoropolitani, sed id quod tomus ille posterius in linguam palaeoslavonicam traductus ad Bulgaricam „Svetoslavska Kormčaja“ adiectus est,⁴⁶⁹ receptionem indubiam eiusdem dispositionum, quas Joannes Zonaras optime synthetizavit, indicat: „Tomus hic synodal is, tametsi multis digressionibus utatur, in summa tamen hoc concludit. Prohibet enim, ne duo fratres duas sobrinas uxores accipient, ac vice versa ne duo cónsobrinae duobus fratribus nubant, neque paterius et avunculus, fratri sororisve filius sorores duas ducant et rursum ne fratribus duobus amitata materterave cum fratri sororisve filia nubat. Praeter ea nihil continet.“⁴⁷⁰

Ex eadem ratione, nempe ex posteriore duarum decisionum synodalium Patriarchae Alexii traductione, praesumi potest receptione earundem adhuc ante schisma definitivum in eparchiis metropolitae Theodoropolitano subiectis seu in Bulgaria septentrionali: prima decisio anni circa 1027 continet famosam illam legem de impedimento prohibente, de impedimento scilicet consanguinitatis in septimo gradu. Altera observantiam canonum XL et XLI s. Basilii inculcat, iuxta quos „nuptiae (contractae) sine iis, qui potestatem habent, scortationes sunt.“⁴⁷¹

In genere igitur:

Iuris matrimonialis evolutio in Bulgaria Orientali post compilatas, aut melius post interpretatas collectiones fundamentales Byzantino-Slavonicas usque ad schisma definitivum a. 1054 praeter exstinctam autonomiam in legibus ferendis et iudiciis instruendis etiam quoad causas matrimoniales nullam aliam mutationem in principiis generalibus exhibet. Etiam extensio impedimenti consanguinitatis ad septimum gradum tanquam mere prohibitum nec simul irritum, derogatio est prorsus singularis et, ut Patriarcha Lucas Chrysoberges tardius dicet, „contradictoria“ regulae generali impedimentis matrimonialibus applicatae: „ea quae lege fieri prohibentur, non solum inutilia, sed pro infectis habenda sunt, quotiescumque facta fuerint.“

Pro singulis autem impedimentis multae introductae sunt amplificationes: impedimentum consanguinitatis extensum est ex quarto gradu ad septimum; impedimentum affinitatis extensum ex quarto ad sextum gradum, exceptis excipiendis; impedimentum cognationis spiritualis ex baptismo ex secundo ad tertium gradum.

De adoptione ecclesiastica in filium aut in fratrem sororemve in textibus legislativis nihil reperitur. Ex iure Graeco-Romano canonisata sunt impedimenta raptus, tutelae, curatelae, luctus, adoptionis civilis et affinitatis ex sponsalibus civilibus.

Minimum aetatis fixe iam ad normam iuris civilis stabilitur (annus 12 et 14 completus).

Notandum denique ius matrimoniale metropoleos Philippopolitanae et Messembriensis inde ab anno 972 usque ad finem nostrae epochae (a. 1393) regi ad amussim ad normam canonum fundamentalium et decisionum synodalium Patriarcharum Constantinopoleos;⁴⁷² dum e contra eparchiae Bulgariae septentrionalis inde ab anno 1020 autonomae declaratae non omnes innovationes Byzantinorum receperint.

§ 2. Dissidio consummato, receptum est sistema synodalismi cum omnibus consequentiis in legislatione et in oeconomia dispensationis ab impedimentis matrimonialibus sicut in ceteris Ecclesiis Byzantiniis. Tardius videbimus Patriarcham Tirkovitanum Euthymium applicare canonibus fundamentalibus monitum Apostoli Pauli de lege evangelica factum ad Galatas I, 8: „Nos nunquam ausi sumus”, declarat Patriarcha, „aliquid vel minimi ex sacris canonibus auferre vel iisdem adiungere, sed semper solliciti sumus, ut sacrae hae regulae observentur disciplinamque zelanter talem semper custodimus, quam ab Ecclesiae universae traditione recepimus, uti nos facere monet Apostolus inquiens: „Sed licet nos aut Angelus de coelo evangelizet nobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.”⁴⁷³

Nihilominus a. 1204 imperator Bulgarorum una cum Patriarcha Zagorae Basilio sollemniter in epistula ad Innocentium III declararunt: „Tu habes a Deo potestatem ligandi atque solvendi, sicut habuit beatus Petrus Apostolus, cui dixit Dominus: „Quodcum-

que ligaveris super terram . . ." Sic tibi contulit Deus gratiam istam; unde quem ligaveris, ligatus est, et quem solveris, solutus".⁴⁷⁴ Iam vidimus nullam probabilissime mutationem (praeter predictum principium generale) in iure matrimoniali durante unione cum Ecclesia Romana factam esse. Quae scientifice probari possunt mutationes in disciplina sacramentali, disciplinam baptismatis, confirmationis et ordinis respiciunt:

Sanctum baptisma per unicam immersionem imo et per infusionem conferebatur.⁴⁷⁵ Confirmationem tantummodo episcopi administrare poterant, sacrum chrisma ipse Patriarcha Tirnovitanus conficiebat.⁴⁷⁶ In ordinationibus presbyterorum et episcoporum s. oleo utendum erat: „volumus tamen, ut Pontifices et sacerdotes ungantur" explicat Summus Pontifex Innocentius III hanc reformam, „non tam *ritum nostrum* quam *mandatum divinum* sequentes".⁴⁷⁷ Novus modus administrandi baptismatis necnon sacri chrismatis confectio in Bulgaria, quin illud a Patriarcha Constantinopolitano peteretur, etiam post renovatum dissidium in usu remansit. Nam anno 1350 Patriarcha Constantinopolitanus Callixtus hosce „abusus" reprobat et ad ipsos corrigendos hortatur,⁴⁷⁸ quod dein Patriarcha Tirnovitanus Euthymius perfecit, qui „omnes haereses" (= catholicae Ecclesiae dogmata), quae in libros liturgicos irrepserant, expurgavit.⁴⁷⁹ Postquam legatio Romana de novo ex Bulgaria expulsa est, quidam quaestionem moverunt, num ordinati Zagorae ab huiusmodi Bulgaris Episcopis sacerdotes et diaconi excipiendi sint. Qui negativam tenuerant sententiam, ad canonem IV synodi oecumenicae II provocabant, in qua de Maximo Cynico eiusque inordinata constitutione, quae Constantinopoli facta est, placuit neque Maximum episcopum esse vel fuisse nec eos, qui ab ipso in quolibet gradu clerici sunt ordinati, et omnia ab eodem facta (ex praesumpta ordinis potestate) irrita esse. Alii e contra, quibus et Demetrius Chomatenus adhaesit, illos recipiebant, quia nec haeretici erant, qui illos ordinaverant, nec Bulgari haeritici sunt, sed orthodoxi ac propterea canon LXVIII Apostolorum, qui ordinationem ab haereticis receptam irritat, ipsis non est applicandus.⁴⁸⁰

Quamvis vero nulla directa innovatio in disciplina matrimoniali facta esset, unione cum Ecclesia Romana durante, nihilominus

legatorum Summi Pontificis praesentia necnon continua bella inde ab anno 1181 contra Byzantinos impedierunt ulteriorem synodalium Patriarcharum Constantinopolitanorum decisionum receptionem. Tota haec periodus tamquam stagnatio in iuris matrimonialis evolutione designari potest. Nec in periodo antecedente (aa. 1054—1181) scientifice constat aliquam ex legibus sive civilibus sive ecclesiasticis Byzantii receptam esse. Inde etiam explicatur, cur usque ad medietatem saeculi XIII in Bulgaria Orientali fundamentales nomocanones (chronologici) cum paucis posterioribus additionibus viguerint, dum in Byzantio inde ab anno 883 per systematicos substituti necnon commentariis Aristeni Zonarae et Balsamonis exornati sint.

§ 3. Inter annos 1234—1262 in Patriarchatu Tirnovitano novus nomocanon, cui nomen *Svetoslavska Kormčaja*, introductus est; ex Bulgaria anno 1262 metropolita Cyrillo II Kiovensi postulante alia copia eiusdem in Rusiam est mandata.⁴⁸¹ Ne textus depravaretur aut false interpretaretur, aliorum exemplarium confessio prohibita est,⁴⁸² uti Jacobus Svetoslav attestatur (aa. 1258—1277). Disputata quaestio de auctore traductionis pro nostro scopo nullius est momenti. Mirandum revera in novum codicem iuris ecclesiastici receptos esse etiam textus ab Ecclesia Byzantina reprobatos, ut septendecim canones S. Pauli, alias septendecim SS. Petri et Pauli et duos omnium apostolorum desumptos ex Constitutionibus Apostolicis.⁴⁸³ Adaptata „Ecloga legis datae per Moysen Israelitis“ propterea fortasse canonisatur, quia iuri populari in aliquibus respondebat; ita praesertim dispositio XXIII „de defectu virginitatis sponsae, causâ divorpii, desumpta ex Deuteronomio XX, 19. 21: „Si autem in veritate factum sit verbum hoc et non inveniatur virginitas puellae, (matrimonium solvetur et), producent adolescentulam ad ianuam domus patris sui et lapidabunt eam viri civitatis eius in lapidibus et morietur, quoniam fecit imprudentiam in filiis Israel prostituere domum patris sui“,⁴⁸⁴ necnon dispositio XXV (in textu originali XXVII) de fornicariis desumpta ex Exodo XXII, 16. 17: „Si quis seduxerit virginem non despontatam et dormierit cum ea, dote dotabit eam sibi uxorem. Si autem renuens renuerit et noluerit pater eius dare

eam ipsi uxorem, argentum solvet ei, quanta est dos virginum.⁴⁸⁵ Iam in capite III sectionis praeleminaris vidimus utrumque elementum, nempe et causam divorii ex defectu virginitatis et impedimentum fornicationis in iure consuetudinario Bulgarico inventari.

Relate ad ius matrimoniale praecedentium saeculorum subrogationes legum matrimonialium spectant sponsalia ecclesiastica, quae eadem mensura ac iisdem cum clausulis matrimonium exaequant, ut de iure matrimonii in Archiepiscopia Achridana sub Demetrio Chomateno explicavimus.⁴⁸⁶

Pro prima vice per legem scriptam in lingua Slavonica coronatio sponsorum etiam pro servis ad valorem matrimonii obligatoria sancitur.⁴⁸⁷

Impedimentum aetatis etiam pro sponsalibus ecclesiasticis stabilitur (duodecimus annus completus pro femina et decimus quartus pro viro).⁴⁸⁸

Quoad impedimentum ligaminis, respective quoad causas divorii, Novella CXVII imperatoris Iustiniani obtinet.⁴⁸⁹

Consensus parentum post annum vigesimum quintum superatum vix non requiritur, uti Patriarcha Alexius voluit, sed propter organisationem familiarem Bulgaricam pro omnibus membris zadrage necessarius erat et Ecclesia Bulgarica in sua iurisprudentia potius canones S. Basili*ii* sequebatur, qui etiam post vigesimum quintum aetatis annum, dummodo nupturientes in potestate patrifamilias versentur, consensum eiusdem requirit. Utrum vero defectus consensus coniugium irritaverit, an solummodo prohibuerit, omni cum certitudine non constat. Probabilius tamen desuetudo, quae in fundamentalibus collectionibus modificatis insinuat, continuabat.⁴⁹⁰

Nam raptor licet severissime ad normam legum Iustiniani imperatoris in Nomocanonem Bulgaricum receptarum puniendus,⁴⁹¹ imo a matrimonio contrahendo iuxta Prochiron, item ex parte receptum,⁴⁹² sub poena nullitatis arcendus, vix in praxi puniebatur multoque minus a matrimonio ineundo prohibebatur: Etenim propter invasionem Cumanorum, gentis Mongolicae, paulo ante christianisatae et propter mixtionem eorundem cum Bulgaris Slavis raptus de novo sat ordinarius evasit. Quodsi nunc Ecclesia re-

cusaret raptori et raptae coronationem libero consensu praestito, populus Bulgaricus, qui usque ad novissima fere tempora caeremoniam ecclesiasticam tamquam mere declarativam et ad essentiam matrimonii haud necessariam considerabat, certe coronationem sperneret: idcirco Ecclesia ex duobus malis necessariis illud, quod minus erat, nempe raptus impedimenti desuetudinem aut melius raptus impedimenti non receptionem, praecelegit.

Neque tamen semper neque in omnibus Patriarchae Tirnovennes contentiosis postulationibus consuetudinariis populi cedebant: Ita usque ad finem saeculi XIV populus observantiam impedimenti polygamiae succesivae recusabat. Patriarcha Euthymius, qui absque ullo compromisso exigebat, ut SS. Patrum in hac re praescriptiones observarentur, coronam virginitatis etiam bigamis imponere recusabat. Nupturientes, ut poenas ecclesiasticas effugerent, in Valachiam seu Romaniam transmigrare solebant, ubi vel incoronati vitam coniugalem continuabant vel a sacerdote speciali quodam modo benedicebantur: parti adhuc virgini imponebatur in caput corona, parti viduae in humeros. Metropolita Hungaro-Valachiae Anthimus patriarcham Euthymium interrogavit, utrum haec consuetudo sustineri posset necne.⁴⁹³

Euthymius modo agendi sacerdotum Rumenorum irriso, redintegrare desiderat vetustam illam praxim, quam Theodorus Studita refert et secundum quam sponsi tunc tantummodo coronantur, quotiescumque utraque pars virginitatem usque ad nuptias servavit illibatam. „Si vero trigami coronandi essent, ubi corona imponenda? An in manus aut ad genicula? Quod sane ridiculum et absurdum est!.. Miserere nostri Deus“, exclamat Patriarcha Ecclesiae in Romania abusum reprobans, „veritas locum dedit iniuitati, lux tenebris... Sacerdotes coguntur coronare bigamos, trigamos, imo et adulteros (= tetragamos)“.⁴⁹⁴ Notandum tamen iam saeculo XIII, uti Nicetas metropolita Heracleensis (inter annos 1261—1283) narrat, etiam Ecclesiam Constantinopolitam ab antiqua praxi recessisse: „Exacta disciplina quidem bigamos coronare non novit“, refert Archiepiscopus, „magnae autem Ecclesiae (Constantinopolitanae) consuetudo haec non observat, sed bigamis etiam sponsalitias coronas imponit; nec ullus unquam per eam causam incusatus est. Ideoque calumniam non formidabit quis-

piam, si tales coronaverit; nisi quod annum unum aut alterum a sacrorum mysteriorum communione arceri debeant, nec eum, qui praecationem concepit simul cum iis cibum sumere oporteat".⁴⁹⁵ Quaenam normae pro tertio successivo matrimonio valerent, Patriarcha non indicat. Probabilius vero etiam heic, saltem in hac periodo, si non antea, obtinuit tomus unionis, qui inter additiones ad „Svetoslavska Kormčaja“ invenitur.⁴⁹⁶

Impedimentum cognationis spiritualis ex baptismo in recepta decisione synodali Nicolai III Grammatici usque ad quintum gradum inclusive extenditur.⁴⁹⁷

De impedimento adoptionis in sacrosanctis ecclesiis textus canonici non loquuntur; quia vero ne in libris quidem liturgicis Bulgaricae versionis medio aevo durante usitatis adoptionis in filium acoluthia invenitur,⁴⁹⁸ in usu apud Bulgaros orientales forsitan non fuit.

Quasi-affinitas ex sponsalibus ecclesiasticis orta eo usque patet, quo usque affinitatis ex matrimonio extenditur.⁴⁹⁹

Est igitur ius matrimoniale Patriarchatus Tirnovitani multo minus Byzantium quam illud Patriarchatus Achridensis; nihilominus modificationes iuris scripti in populi consuetudinum favorem introductae, impedimento ex defectu consensus parentum excepto, canonibus fundamentalibus vix repugnabant.

Quodsi de iuris ecclesiastici applicatione quaeramus, haec absque dubio in Bulgaria orientali et quidem sive in Moesia sive in Thracia in meliore conditione versabatur quam in ditione Achridensi, ut in articulo subsequenti videbimus.

Articulus III

Ius matrimoniale consuetudinarium in Bulgaria medioaevali eiusque relatione ad ius scriptum. Influxus Bogomilismi.

(Saec. X. – XV.)

§ 1. Quamvis fontes directi pro iure matrimoniali consuetudinario vigente in Bulgaria Medio Aevo durante nobis desint, nihilominus iam ex archaicis characteribus consuetudinum matrimonialium, quae adhuc sub fine saeculi XIX apparent, omni cum

certitudine eiusdem existentia ininterrupta inde a saeculis praechristianis deduci potest. Ius consuetudinarium non solum in Bulgaria, sed in toto Oriente tanti erat ponderis, ut et ipsi historici occidentales, coaetanei et cives Imperii Latini in Oriente imperatores et reges appretient secundum cognitionem plus minusve profundam iuris consuetudinarii necnon secundum habilitatem ipsi sese accommodandi in imperio administrando. Ita v. g. de imperatore Balduino III Gullielmus, Tyrensis archiepiscopus, adnotavit: „Iuris etiam consuetudinarii, quo regnum regebatur Orientale, plenam habens experientiam ita, ut in rebus dubiis etiam maiores regni principes eius consulerant experientiam et consulti pectoris eruditionem mirarentur“⁵⁰⁰ et de rege Amauri refert: Amauris li rois fu sages hom et bien porveans ès choses del siècle... Des coutumes par que li resgnes estoit gouvernez savoit plus que nus des autres barons...⁵⁰¹ Quodsi ius consuetudinarium tantae erat praeponderantiae apud cultiorem nationem Byzantinorum, a fortiori existebat etiam apud Bulgaros, qui a crucigeris (utique ex odio) designantur ut „gens inculta“⁵⁰² „la race sauvage“.⁵⁰³ Imo in Bulgaria et quidem nec in primo (aa. 679—1019) nec in secundo imperio nationali independente (aa. 1181—1393) leges scriptae civiles, quae ordinarent ius patrimoniale, exstitisse videntur: non quia hucusque nulla lex reperta est, sed potius quia lingua Bulgarica termino pro lege scripta caruit. Verbum „zakon“, quod apud omnes alios Slavos designat legem, pro populo Bulgarico fere usque ad tempora nostra significabat consuetudinem iuris et quidem generalem; e contra terminus „adet“ (ex Turcico idiomate) consuetudinem particularem significat.⁵⁰⁴

Ceteroquin iuris consuetudinarii matrimonialis existentiam canonica opera Demetrii Chomateni clare indicant. Metropolita „Achridae et totius Bulgariae“ de divortio consensuali secundum ius nationale facto loquitur, item de adoptione in fratrem, de adoptine in filium seu „chraničestvo“, de credentiis popularibus, quae certo sensu dici possunt sepes iuris consuetudinarii.⁵⁰⁵ Iuris consuetudinarii matrimonialis existentiam quodammodo etiam receptio Legis datae Israelitis per Moysen insinuat, ut diximus.

Difficilior vero est quaestio de normis concretis consuetudinum matrimonialium. Heic mera abstractio ab elementis christianis

non sufficit eo quod magis vel minus aliqua saltem elementa christiana in ius populare iam penetraverant. Praeterea saeculis IX et XIII advenerant *Pečeněgi* et *Comani*, gentes stirpis Turcicae, quorum aliqui unione cum Ecclesia Romana durante baptisati paulatim cum Bulgaris coaluerunt et absque dubio immutationes in populi Bulgarici consuetudinibus causaverunt. Ut inutilem saltem confusionem evitemus, primo inter singulas classes sociales, secundo inter singulas regiones, tertio inter singula elementa ethnica Bulgariae mediaevalis distinguendum est.

Natio Bulgarica medio aevo in duas classes principales divisa est: privilegiatam et non privilegiatam, quarum prima tantum, i. e. nobiles seu „boljari“; sub aulae Byzantinae influxu ius ecclesiasticum Byzantium potius quam Bulgaricum Slavum in matrimonii ineundis ac solvendis observabant, quamquam abusus ab iisdem haud raro committebantur.⁵⁰⁶ Populus vero sive in pagis sive in oppidis etiam codicem iuris consuetudinarii sequebatur: In pagis, quia ius consuetudinarium Bulgaricum est ius agricolarum *κατ' ἐξοχήν*, praesertim in suis residuis archaicis; in oppidis, quia allusiones ad pravas, gentium consuetudines apud Demetrium Chomatenum etiam ad urbium incolas sese referunt. Quomodo populus de matrimonii servorum, qui ne in Bulgaria quidem deerant,⁵⁰⁷ senserit, utrum scilicet normam iuridico-sacralem de servorum cum liberis paritate retinuerit,⁵⁰⁸ an potius iuris Byzantini civilis influxu eorundem coniugia contubernia consideraverit, non constat.

Id unice certum est Ecclesiam inde ab initio, Statum saltem temporibus Alexii Comneni⁵⁰⁹ matrimonia servorum matrimonii liberorum (sub aspectu iuris personalis) aequa reddidisse. Nihil probat Statum Bulgaricum, iugo Byzantino deiecto, impedimentum servitutis renovasse. Consensus domini saltem negativus semper utique necessarius erat ad matrimonii valorem.⁵¹⁰

Quoad regiones Bulgariae Mediaevalis eadem distinctio valet quam pro iure scripto fecimus. Diligente iuris consuetudinarii matrimonialis examine, prout sub medietate saeculi anteacti collectum est, peracto, statim consuetudines Bulgariae occidentalis, i. e. Macedoniae et Bulgariae proprie dictae usque ad flumina Isker, Topolnica et Mesta cognoscimus characteres antiquitatis (personalitatem, rigorem, logicitatem, paganicitatem) in mensura

multo maiore prae se ferre quam illas in Bulgaria orientali videntes. Cuius differentiae quadruplex est ratio:

a) in Bulgaria occidentali „zadrugae“ seu basis totius iuris consuetudinarii erant semper numerosiores quam in Thracia et Moesia inferiore;⁵¹¹

b) in Bulgaria occidentali errores antichristiani (Bogomilismus, Messalianismus, Varlaamismus, Adamitismus etc.) magis quam in oriente Bulgariae grassabantur;⁵¹²

c) praesertim in Bulgariam occidentalem *Pečeněgi* et *Cumani* adhuc pagani aut erroribus modo enumeratis infecti advenerunt; qua de causa in hisce provinciis, ubi christianisatio iuris consuetudinarii de novo incipere debebat, maiora obstacula inventiebat.⁵¹³

d) Dum centrum Ecclesiae Bulgaricae eiusque activitatis annis 864—969 in Bulgaria Orientali constituitur, dum ibidem clerbus indigena Bulgaricus nunquam deest, imo per duo saecula (aa. 1181—1393) exclusive et Ecclesiam autonome administrat, in Bulgaria occidentali inde ab anno 1025 et per totum Medium aevum hierarchia superior aut graeca aut hellenisata sedes occupavit. Et licet contactum cum populo Bulgarico agrario non omnes abhorruerint, uti metropolita Theophylactus, qui saepius conqueritur „Ego autem cum talibus monstris (= Bulgaris) ad habitandum damnatus sum, quae neque Deum neque homines vereri noverrunt“,⁵¹⁴ nihilominus idiomatis diversitas et consequens impossibilitas immediatae communicationis inter Pastores et fideles iuris consuetudinarii christianisationem certe impeditiebat.

Idcirco in Bulgaria occidentali multo magis quam in Bulgaria orientali ius consuetudinarium matrimoniale iuri ecclesiastico praevalet.

Elementa ethnica, quae in Bulgaria medioaevali verificata sunt, ad quattuor reduci possunt: *Slavi Bulgari* uti plurimum agricultae (si nobilitatem excipias) praevalebant. In pagis praeterea *Rumeni*, melius „*Vlasi*“ vivebant, qui pastores erant nomades, in oppidis praesertim in Macedonia, Thracia orientali et in portibus Ponti Euxini commercium exercebant *Graeci* (praeter Italos, Saxones, qui paucissimi erant, necnon praeter Iudeos, qui quoad nostram materiam omitti possunt), in militia denique feri *Cumani*, *Peče-*

něgi, Vardariotes, gentes stirpis Turciae, Bulgaros adiuvabant.⁵¹⁵

Qui omnes suis traditionibus nuptialibus sat intensive differebant. Hi omnes etiam aut per conviventiam aut per fusionem (per matrimonia) influxum in ius consuetudinarium Bulgarorum exercuerunt per conviventiam Graeci et „Vlasi“, per fusionem Cumani, Pečeněgi et Vardariotes.

Bulgari odio adversus Graceos pulsi et Vlachos pastores contemnentes, matrimonia cum eis inire ut aliquid dedecorum et ignominiosum considerabant,⁵¹⁶ data etiam diversa conditione oeconomica diversisque negotiis, quibus isti populi vacabant, Graecorum et Vlachorum influxus erat sat exiguus. Difficillime Graecorum influxus determinari potest, quia in materia matrimoniali cum illo iuris Byzantini (aut Byzantino-Slavonici) coincidit. Vlachorum influxu fortasse adoptio in fratrem invaluit, institutum ceteroquin omnibus Indogermanis commune, tamen in Balcano et etiam apud Bulgaros merito Vlachorum frequentius,⁵¹⁷ qui influxus igitur ad „quantum esse“, non ad „esse“ limitatur. Etiam Pečeněgorum et Vardariotum influxus non poterat esse nisi localis: hi a saeculo IX in Macedonia ad ripas fluminis Varda, illi saec. XI item in Macedonia occidentali et ad ripas Danuvii colonisati et non multo post baptisati sunt. Utrique Cumanis erant valde affines.⁵¹⁸

Propterea usque ad fusionem cum Cumanis, i. e. usque ad secundam medietatem saec. XIII, dempto iure ecclesiastico aut infiltrationibus errorum Bogomilismi, Messalianismi et aliorum, ius Bulgaricum consuetudinarium remansit sat originale, sat purum, fere exclusive Slavum! Elementa Mongolica-Turcica praesertim a Cumanis illata sunt. Kumania seu Kipčak erat quondam (s. X) potens imperium inter flumina Volgam, Danuvium, Pontum Euxinum et paludem Meotidem.⁵¹⁹ Anno 1096 recordantur Byzantini historici et annaliste invasionum in imperium Byzantium nec non victoriae Alexii I. Comneni imperatoris, quam de ipsis reportavit, mentionem faciunt.⁵²⁰ Iam ante bella cum aliis Mongolis et ante definitivam eorundem imperii a. 1237 destructionem haud pauci transmigraverunt in Bulgariam, ubi partem exercitus formidabilem efformaverunt. Historici crucigeri saepissime de bellis cum Bulgaris et Cumanis reunitis contra Latinos loquuntur.⁵²¹ De

Cumanorum iure consuetudinario optime poterant missionarii, qui illorum conversioni in imperio operam dederunt;⁵²² sed nullam, quae nobis inservire possit, relationem reliquerunt. Cum hodie Cumani non existant, sed partim cum Hungaris, partim cum Bulgaris et cum aliis populis Russiae mixti sint, eorundem consuetudines nuptiales nonnisi ex comparatione iurium consuetudiniorum apud illas gentes quae ipsis propinquae erant et hucusque vivunt, scil. apud Turcos Corcyos, Kumykos (in Caucaso), apud Ceremissos et Mordves cognosci possunt.⁵²³

Omnibus hisce populis commune erat axioma: „non consensus, sed concubitus cum effectiva subiectione mulieris in potestatem mariti nuptias facit“. Effectiva subiectio maxime per raptum verificari solebat. Raptus vero ille saepius erat endogamicus. De fuga autem aut intrusione nullum vestigium; pauca de mulieris emptione. Familia maior erat monarchice organisata; impedimentum defectus consensus fratris sororisve maioris natu non noscitur; impedimentum vero defectus consensus patrisfamilias viget. Impedimenta necessitudinis fere non habentur. Aetas nonnisi requisitum relativum erat, ut iam de Ceremissis et Mordvibus loquentes diximus.⁵²⁴

Quodsi has normas cum iure Bulgarico comparemus, patet influxum illum non fuisse nisi accidentalem. Ratio est evidens: Cumani post fusionem cum Bulgaris a vita militari et nomadica ad vitam agricolam transiere et organisatio familiae monarchica in democraticam sensim sine sensu transformata est. Aliqui eorum inter nobiles sunt adnumerati.⁵²⁵ Influxus in essentialibus non tam propter numericam Slavorum praeponderantiam quam potius propter altiorem eorundem culturam repugnat.

Omnes etiam difficultates explicantur, quae homogenae reconstructioni notionis de natura iuridica matrimonii secundum ius Bulgaricum praechristianum obstant. Quae notio paucis exceptionibus positis, etiam post fusionem Bulgarorum cum Cumanis eadem remanet.

Exceptiones facienda seu elementa probabilissime Mongolico-Turcica a Cumanis mutuata videntur esse:

1. quoad aetatem sponsorum: abusus, ut mulier adulta viro puerulo nubat iuxta proverbium „Nubere viro, quem in brachiis por-

tare possis!" Hic abusus non invenitur apud ceteros Slavos ne meridionales quidem nec Demetrius Chomatenus de illo mentionem facit, sed e contrario persaepe sententiam tulit de matrimonii vel sponsalitiorum nullitate propter defectum aetatis in muliere;⁵²⁶

2. usus in quibusdam tantum regionibus vigens, ut nonnisi post copulam virgo nupta declaretur;

3. abusus, qui sporadice apud aliquas gentes quoad impedimentum consanguinitatis inveniebantur;⁵²⁷

Praeterea Cumani raptum iam iam in desuetudinem venientem renovasse et in genere christianisationem iuris Bulgarici consuetudinarii sat impeditisse videntur.

Antequam concretas normas matrimoniales medio aevo apud Bulgaros vigentes reconstruimus, influxus iuris matrimonialis ecclesiastici necnon influxus errorum, praesertim Bogomilismi, erit determinandus.

§ 2. Sufficienter in praecedentibus articulis de quarundam consuetudinum matrimonialium canonisatione locuti sumus; modo investigandus est processus inversus: Quaerendum nempe, quae-nam iuris ecclesiastici praescriptiones consuetudine confirmatae, quaenam neglectae sint.

Prima norma consuetudinaria a iure ecclesiastico abrogata, certe erat polygynia simultanea. Iam diximus polygyniam non fuisse nisi phaenomenon sat exceptionale ante conversionem; cuius igitur extirpatio post officialem conversionem non erat tam difficilis, maxime quia omnes populi, qui Bulgaros circumda-bant, ipsam abhorrebant et leges tam civiles quam ecclesiasticae severissimis poenis illam mulctabant.⁵²⁸

Non tam facile populus Bulgaricus legibus contra polygyniam successivam latis subiugari voluit; quod relative numerosae huius impedimenti observandi inculcationes probant. Observatio-ne digna est ratiocinatio synodi cuiusdam (forsan Achridensis) in nomocanonem Joannis Comneni metropolitae receptae, quae, si premeretur, etiam secundum matrimonium esset invalidum. Synodus enim, ut divinam constitutionem nostri impedimenti probet, ad textum S. Pauli in epistula ad Ephesios V, 32 provocat: „Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia“. Quodsi Christi sponsa (= Ecclesia) nonnisi una esse

potest, etiam matrimonium?⁵²⁹ De impedimento polygyniae successivae loquitur Theophylactus,⁵³⁰ Ioannes Comnenus,⁵³¹ Demetrius Chomatenus, qui dilucidis verbis nullitatem absolutam quarti matrimonii proclamat;⁵³² ipsum observandum etiam antecessores ultimi Patriarchae Tirnovitani inculcant, qui et speciales synodos fecerunt, ut abusus in hac re extirparent.⁵³³ Ex quibus documentis potius non receptio huius impedimenti in ius populare appet.

Nullo modo probari potest populum iam Medio Aevo durante principium recepisse: „matrimonium ex principio esse insolubile“ Ex sententiis matrimonialibus sub archiepiscopatu Demetrii latis contrarium potius elucet; mirandum sane Episcopos quandoque divortiis consensualibus secundum normas traditionales factis acconsensisse.⁵³⁴

Ex impedimentis necessitudinis unicum tantum observabatur inde ab initio, scilicet impedimentum consanguinitatis; heic Ecclesiae pracepta laxiora in oculis populi ac traditio pagana apparebant. Nec Demetrius Chomatenus nec aliis hierarcha Bulgariae de non oboedientia legibus ecclesiasticis in hac re conqueritur. Ut etiam cetera impedimenta affinitatis, quasi-affinitatis et cognationis spiritualis facilius reciperentur, clerus in Bulgaria iisdem denominationibus utebatur pro affinibus ex matrimonio, sponsalibus aut baptismo ac pro consanguineis et saepe rationem seu radicem horum impedimentorum in relatione ad consanguinitatem explicabat.⁵³⁵ In quantum vero haec impedimenta Medio Aevo durante in praxim deducta sint, determinari nequit. Populus Bulgaricus certe non percipiebat statim et quasi a se ipso analogiam inter relationes consanguinitatis ex una parte et affinitatem cognationemque spiritualem ex altera. Nam etiam ius populare alias species cognationis creavit, ut *pobratimstvo* (adoptio in fratrem), *chraničestvo* (adoptio in filium), *svatostvo* (affinitatem ex sponsalibus iuris consuetudinarii), numquam tamen in ipsis impedimentum quoddam coniugii contrahendi videbat.⁵³⁶ Ceteroquin quaestiones de necessitudine ex affinitate, quasi-affinitate saltem in Bulgaria occidentali propter nimiam errorum diffusionem, qui populum a sacramentis Ecclesiae concreditis recipiendis abducebant,⁵³⁷ rarius occurrebant.

Ex eadem ratione, propter improportionatam praeponderan-

tiam haereticorum saepe in Bulgaria occidentali impedimentum disparitatis cultus et impedimentum clandestinitatis (uti dicitur) sive in matrimonio, sive in sponsalibus ineundis violabatur. Hoc clare acta metropolitae Demetrii Chomateni innuunt, in quibus archiepiscopus, sive de iure hereditario, sive de iure matrimoniali agitur, saepius de concubinatu quam de matrimonio loquitur.⁵³⁸

Ibidem praeterea propter frequentiorem raptum post mediatem saeculi XIII Cumanorum influxu de novo usitatum consensus patrisfamilias et zadrugae requiri non solebat. Eodem saeculo alter abusus, cuius iam pluries mentionem fecimus, quoad nuptucentium aetatem incipit.

§ 3. Intricatissima quaestio est illa de influxu Bogomilismi in ius matrimoniale sive ecclesiasticum sive consuetudinarium. Fontes Bogomilorum doctrinae sunt pauci;⁵³⁹ eorundem interpretatio sat diversa:

Alii censent duplicem sectam Bogomilorum extitisse, quarum una matrimonium non ut sacramentum, sed tantum ut institutum sociale humanitati necessarium recognoscebat, altera secta minus diffusa matrimonium, respective filiorum procreationem a limine respuebat et solum matrimonium „spirituale“ permittebat.⁵⁴⁰ Alii e contra rectius interpretantur diversam doctrinam de matrimonio de dupli classe eiusdem sectae, in qua imperfectis concessum erat matrimonium inire, militiae participare, tributa Statui solvere, a quibus omnibus abstinentium erat perfectis.⁵⁴¹

Alii putant Bogomilismum elementum alienum fuisse, a Mongolis, praesertim Pečeněgis et Cumanis ex Asia allatum, haeresim fuisse religiosam: conglomerationem confusam ex manicheismo, messalianismo et paulicianismo.⁵⁴² E contra alii Bogomilismum ut motionem politicam et nationalem explicant, quae propterea solummodo haeresis est appellatam, quia Medio Aevo exortam, quando omnis revolutio characterem induit religiosum. Absurdum idcirco censem de influxu Bogomilismi in ius nationale Bulgaricum loqui, cum in eiusdem libris et legendis fontes potius iuris consuetudinarii sint quaerendae.⁵⁴³

Quidquid est de quaestionibus agitatis, haec saltem certa et a nullo contestata dici possunt:

Bogomilismus una cum aliis sectis medioaevalibus in Bulgaria plus minusve diffusis matrimonii sacramentalitatem negabat et populum, ne coronationem a sacerdotibus Ecclesiae Bulgaricae reciperet, prohibebat.

Aliqui saltem ex Bogomilis, iique semper pauciores, imo paucissimi erant,⁵⁴⁴ matrimonium etiam ut institutum sociale respuebant, et quidem propter filiorum procreationem. Qui secundus error in iure matrimoniali consuetudinario apud Bulgaros vix reperitur.⁵⁴⁵ Imo si quando populus mentis sua pandendae de matrimonii honestate, liceitate aut necessitate occasionem habuit, semper et in tota Bulgaria respondebat: matrimonium non solum honestum et licitum esse, quia procreationi ac educationi sobolis inserviret, sed idem necessarium et obligatorium esse ita, ut nemo ab ipso ineundo dispensari possit, praeterquam ex causis religiosis (ob religiosam professionem).⁵⁴⁶

Haec tamen exceptio nonnisi christianismi influxu est introducta; vetustae enim caeremoniae tumulationis innuptae aut non uxorati sat clare indicant originariam individualem et indispensabilem obligationem prolis procreandae ex legitimo matrimonio.⁵⁴⁷ Propterea haec doctrina Bogomilorum de diabolica matrimonii origine non nationalis, sed asiatica, manichaea esse videtur.

Primus autem Bogomilismi error maximum influxum in relationem inter Bulgarorum ius consuetudinarium et ius matrimoniale ecclesiasticum exercuit. Si enim populus pro matrimonio ineundo templum Dei non adibat, revisio ex parte Ecclesiae deficiebat; populus consequenter matrimonium sive ineundem sive solvendum omnesque coniugii effectus ad normam propriarum traditionum ab antiquo ordinabat. In hoc totum momentum Bogomilismi stat, qui *vis inhibitoria christianisationis consuetudinum matrimonialium in Bulgaria* designari potest.⁵⁴⁸

Ius matrimoniale ecclesiasticum Bulgarorum nullo modo sane influxum erroris recipit, attamen alia disciplinae ecclesiasticae sphaera propter Bogomilismum modificata est: Ut origo divinae matrimonii clarius fidelibus pateret, sacerdotes saeculares (clerus albus) Bulgariae non solum uxores suas iuxta praeceptum canonis VI (V) Apostolorum dimittere non valebant, sed uxorem

ducere ante ordinationem tenebantur.⁵⁴⁹ Iam constat mitiorem coelibatus Orientalium formam praecise manichaeismi influxu ortam esse;⁵⁵⁰ modo influxu Bogomilismi, qui maximam affinitatem cum manichaeorum dualismo ostendit, coelibatus cleri Bulgarici de novo relaxatur. Tamen retentio et mitioris observantiae coelibatus fortificatio etiam ex antagonismo contra Ecclesiam Latinam explicari potest.⁵⁵¹

§ 4. CONCLUSIO

Ius matrimoniale consuetudinarium non vigebat nisi inter Bulgarios agricolas et oppidorum incolas. Nobiles, clerus et monachi iuri Byzantino aut Byzantino-Slavonico oboediebant, in quantum et ipsi in Bogomilismum non sunt prolapsi.⁵⁵²

Ex iure ecclesiastico universaliter impedimentum ligaminis receptum est, quatenus polygyniam simultaneam vetat, non vero quatenus divortium consensuale aut divortium unilaterale sine causa interdicit.

Ex reliquis impedimentis in tota Bulgaria receptio impedimenti polygamiae successivae incipit, quia qua „divini iuris“ saepissime inculcatur. Cetera impedimenta originis mere ecclesiasticae nempe impedimenta disparitatis cultus, affinitatis, quasi-affinitatis, cognationis spiritualis, clandestinitatis aut impedimenta ab Ecclesia ex iure Byzantino civili (aut Romano mediate) canonisata, uti impedimentum aetatis aut adulterii, paulatim in Patriarchatu Tirnovitano in praxim deducuntur; in Macedonia vero et in Bulgaria occidentali propter magis diffusum Bogomilismum potius negliguntur.

Praeterea in ius matrimoniale consuetudinarium Bulgariae occidentalis praesertim a saec. XIII quaedam elementa ex iure Mongolico-Turcico Cumani penetrant.

Ius matrimoniale consuetudinarium tam intensive persentitur, ut et in ipsum excultum ius ecclesiasticum influat: Ecclesia impedimentum defectus consensus parentum ex absoluto et dirimente in conditionatum et impediens mutat; impedimentum raptus non introducit, e contra obligationem fornicatori a populo impositam ducendi seductam uxorem recognoscit et initio saltem fratrifica-

tionibus benedit; etiam defectum virginitatis tamquam causam divortii agnoscit.

Impedimenta iuris mere consuetudinarii ab Ecclesia non canonisata sunt: impedimentum defectus consensus fratris sororisve maioris natu et impedimentum consanguinitatis, in quantum inire coniugia inter membra eiusdem gentis seu „vlaka“ prohibet. Quae duo impedimenta apud Bulgaros Medio Aevo durante existisse directe probari nequit, sed ex ininterrupta existentia familiae patriarchalis et gentium praesumi potest.

Sed ne ius scriptum quidem seu ius ecclesiasticum in Bulgaria mediaevali unitarium erat.

Ius matrimoniale Thraciae orientalis inde ab anno 972 a iure Ecclesiae Constantinopolitanae non differt.

Ius matrimoniale Achridae pari passu cum iure Byzantino civili inde ab inthronisatione Leonis seu inde ab a. 1025 progeditur.

Ius matrimoniale Byzantino-Slavum, quod initio (886—1035) in tota Bulgaria viget, dein in quibusdam eparchiis autonomae archiepiscopiae Achridensis et tardius in Patriachatu Tirnovitano suas characteristicas habet. (Cfr. conclusionem II articuli presentis capituli.)

⁴¹⁷ Pitra (Battandier) VII 727—730.

⁴¹⁸ Pitra (Battandier) VII 713 doc. CCIX.

⁴¹⁹ Pitra (Battandier) VII 729: „Λατῖνοι οὐκ ὡς αἰρησιῶται ἀπόβλητοι δημοσίᾳ γεγόνασι, ἀλλὰ καὶ συνεσθίουσιν ἡμῖν κοι συνεύχορται“.

⁴²⁰ MG (119) 957—960.

⁴²¹ Pitra (Battandier) VII 629.

⁴²² Pitra (Battandier) VII 713—714 doc. CCX.

⁴²³ Pitra (Battandier) VII 245—250.

⁴²⁴ Pitra (Battandier) VII 39—46; 563—570.

⁴²⁵ Pitra (Battandier) VII 295—298.

⁴²⁶ Pitra (Battandier) VII 143—146.

⁴²⁷ Pitra (Battandier) VII 711 doc. CCIII.

⁴²⁸ Pitra (Battandier) VII 780—784.

⁴²⁹ Pitra (Battandier) VII 337—340; 543—548.

⁴³⁰ Pitra (Battandier) VII 497—498; 527—530.

⁴³¹ Pitra (Battandier) VII 547—550; 557—558; 709—710. doc CC.

⁴³² Jireček: „Dějiny“ 187—188; 336—337.

⁴³³ Codex St. Dušan art. 53 (ed. Solovjev—Beograd 1929); textum cf. in n. 149.

⁴³⁴ Pitra (Battandier) VII 83—88; 193—198; 710 doc. CCI.

⁴³⁵ Cf. notam 370.

⁴³⁶ Cod. jur. gr. Vindob. 2 fol. 378a—379a; apud Zhishman o. c. 355.

⁴³⁷ Zhishman o. c. 356.

⁴³⁸ Sněgarov o. c. 316—339.

⁴³⁹ Art. 53 „ако ли (кто) другу узме по силѣ да му се обѣ руке отсѣку и нось урѣже“ — art. 3. И ни юдина свадба да се не учини без вѣнчаніа. ако ли се учини без благословеніа и упрощеніа цркве таковіи да се разлуче“ art. 41. Кои властелинъ не узыма дѣтцу а али пакы и узыма дѣтцу тере умре и по ніегове съмрти бащина пуста остане где се обрѣте от ніегова рода до третіега братучеда ть-зи да има іегову бащину“ art. 9. „И ако се наайде полуувѣръцъ узъмъ христіанку, ако узлюби да му се узъме жена и дѣтца и да имъ се да дѣль от кукіе а онъ да се отжене“ „Dušanov zakonik“ a. 1349 et 1354 ed. A. Solovjev — Beograd 1929.

⁴⁴⁰ Art. XI eiusdem Codicis (Steph. Dušan) ed. A. Solovjev pag. 10—11.

⁴⁴¹ MG (126) 418 epist. XXVII.

⁴⁴² Pitra (Battandier) VII 675—678.

⁴⁴³ Cf. Acta concilii Chalced. act. IV. (Mansi VI. col. 1227 can. 12) et Syntagma alphabeticum Blastaris litt. K. cap. 5. ed. Beveregii MG (144) 1355—56.

⁴⁴⁴ Cf. notas 383 (ἀρχοντας ἡτοι ἀρχερεῖς) et 352; Zaikyn (l. c.)

⁴⁴⁵ Cf. praesentis articuli § 1 num. III —6 β et δ — ibidem litt. c et num 7 lit. δ, porro num IV. cum o. c. cl. Zhishman 576, 366, 350—357, 342 sq., ubi refertur disciplina mediaevalis ecclesiastica in Byzantio vigens.

⁴⁴⁶ Jireček „Dějiny“ p. 132 sq.

⁴⁴⁷ Ibidem pag. 136—140.

⁴⁴⁸ Πρόχειρος Νόμος — Закона градскаго главы — Editio versionis Slavonicae mediaevalis desideratur. Propterea pro textuum tenore illa ex „Josifovskaja Kormčaja“ utimur. — De additione cap. II. Eclogae et cap. VII. Prochironis ad normocanonem palaeo-slavonicum cf. Pavlov „Первоначальный славяно-русский нормоканонъ“ Kazaň 1869, pag. 23, nota 42. Proch. VII α'.

⁴⁴⁹ Prochiron VII β—δ'. Editio Graeca procurata est cura Zepi—Zepi „Jus graeco-romanum“ Athenis (1931) vol. II. pag. 110—228. Editio Zachariae v. Lingenthal: Heidelbergae (1837) dat traductionem Latinam, quae vicinior est textui Slavonico, quem inveniens in Кормчая напечатана съ оригинала патриарха Иоанна Богослова ed. Beneševič vol. I. глава Могранъ 3.

⁴⁵⁰ Eccl. II. δ' editio Bobčev „Старобългарски правни паметници“ Sofia 1903, pag. 121.

⁴⁵¹ Proch. VII. ε' „Ни отца моегѡ или брата оброученнїѧ не могѡ поѧти ѿще и не вженишасѧ обо мачехи сїѧ же снохї чинъ имѣютъ“ ed. cit.

⁴⁵² Proch. VII. γ' сi „ни жены сына жены моей рождыялосѧ єй ѿ перваги моужа. Ни мачеха не возметъ бывша моужа дщере моужа єй ѿ первыѧ жены“ ed. cit.

⁴⁵³ Proch. VII. κн „Законъ юже ѿ крещенїѧ прїимъ дѣвицѧ не можетъ єя поѧти женою послѣди ѹки дщи ємоу есть но ни матерє єя но

ни сынъ єгѡ понеже никако же иного неможеть в'вести ко отечествѣ любви и праведно єсть воз'браненіе бракъ к' таковомъ соѣзъ имже бгови не ходатайствющъ и дѣла ихъ ѿсквернаетсѧ“ ed. cit.

⁴⁵⁴ Ratio, cur capita II Ecl. et VII Prochironis non loquantur de adoptione eccl. est evidens; erant enim codices iuris civilis. De usu adoptionis civ. Byzantinae nobilium (boljari) Bulgarorum desunt quidem testimonia positiva, sed tuto hic usus praesupponi potest propter crebra matrimonia et continuum commercium cum Byzantinis. Cf. Jireček „Dějiny“ pag. 331. De extensione impedimenti adoptionis civilis cf. Proch. VII 2, 5, 6, 10, 18, 19, 23.

⁴⁵⁵ Proch. VII 19 „Ни творенни сынъ твореннагѡ отца матерь или сестры єл или ѿ сына вноўки. (ed. cit.)⁴

⁴⁵⁶ Proch. VII 23 „Твореныи сынъ неможе твореннигѡ отца своегѡ жены поѧти ѡще и неприкасаетсѧ рода ихъ“ (ed. cit.)

⁴⁵⁷ Publicata a V. Vasiljevskij in Журналъ министерства народнаго просвѣщенія (S. Petersbourg 1881 č. 215—217) զէ: *Περὶ ἀπιστίας τῶν Βλάχων „ποιοῦντες ἀδελφοποιήσεις καὶ συντεκνίας καὶ σοφεύσμενοι διὰ τούτων ἀπατᾶν τοὺς ἀπλούστερονς“* pag. 150 num. 216; a. 1881.

⁴⁵⁸ „Ащеакто восхýтитъ дѣвицъ или вдовицъ не можетъ поѧти єл в' женъ ѡще и отецъ єл совѣщаетъ и ѿтпouститъ ємоу виноу“ Proch. VII 23 (ed. cit.)

⁴⁵⁹ Proch. VII. 23 „Ни отецъ приставника ни самовластинъ братъ неможетъ поѧти в' женъ пороучению ємоу сиротъ“ (ed. cit.)

⁴⁶⁰ Proch. VII 23 „И хранитель дщери или нѣкоега имѣнія. моуцъ пови-ненъ єсть: долженъ бо єстя ѿдати словеса и ѿ имѣніи ѡще кто много времѧ правинъ єсть или мало“ (ed. cit.)

⁴⁶¹ Ёгда сѣтвѣть женъ по мѹжи и в' томъ сѣтованіи родить отроча и ёще возбранитсѧ єй ити за дрѹгии моужъ. Аще сѣтвѣть или не сѣтвѣть возбранена єсть во времѧ сѣтованія ити за йнъ моужъ“ Proch. VII 26 23 (ed. cit.)

⁴⁶² Cf notam 336 sub fine.

⁴⁶³ „Совѣщаетсѧ бракъ християнскъ ... между моужемъ и женою яко быти обою въ возрастѣ къ състанію, обрученома: моужеви оубо отъ пя-гинадесѧтъ лѣтъ, женѣ — же отъ трехъ на десѧтъ лѣтъ обѣма хотяще-ма совѣщаніемъ родителю“ Eccl. II α' edit. cit. Bobčev pag. 121.

⁴⁶⁴ Cf. Цухлевъ D. „История на българската църква“ Sofia (1911) I. pag 721.

⁴⁶⁵ Ibidem I 845—857. Quoad fontes cf. Ivanov „Bulgarski starini iz Makedonija“ (1931) pag. 557.

⁴⁶⁶ Gedeon M. „Κανονικαι διατάξεις τῶν Πατριαρχῶν Κονσταντινοπόλεως“ Constantinopoli (1888) I, 24—26, 74—78, 87—89.

⁴⁶⁷ Leunclavius „Juris Graeco-Romani tam canonici quam civilis tomii duo“ Francofurti (1596) I. 215; Rhalles ΣV 58—60.

⁴⁶⁸ Leunclavius I. 215—216; Rhalles ΣV 59—60.

⁴⁶⁹ I. Sreznëvskij „Обозрѣніе древнихъ русскихъ списковъ Кормчей кни-ги“ СПБ (1897) pag. 75.

⁴⁷⁰ Apud Leunclavium I. 203; Rhalles ΣV 19.

⁴⁷¹ Srezněvskij l. c. Novellae habentur in MG (119) 743—748.

⁴⁷² Cf. notam 466.

⁴⁷³ Мы оудѡ свещенныѧ правиль ниже отъехомъ ниже пакы прилагаемъ, нъ по прѣданїю дож[ы]ственыхъ и свещеныхъ правиль тъщим се хранити ихъ... яко же божествный апостолъ рече „Аще ангель блавѣстить вамъ паче еже пръесте проклетъ да боудеть.“ Epistel an den Metropoliten von Ungro-Vlachien Anthim“ edita a cl. Kalužniacki „Werke des Patriarchen von Bulgarien Euthymius“ Wien (1901) pag. 241—242.

⁴⁷⁴ ML (215) 115. n CXLII.

⁴⁷⁵ De hoc nihil in documentis Unionis (1204—34). Quia tamen Bulgari totam praxim administrandi sacramenta a Byzantinis mutuarunt, Byzantini vero inde ab initio per trinam immersionem baptismi sacramentum conferebant (Jugie III pag. 70), „abusus“ ille, quem Callixtus I. Patriarcha Constantinopolitanus apud Bulgarios improbat, (cf. notam 478) non potuit aliunde derivari nisi ex tempore nostrae Unionis.

⁴⁷⁶ ML (215) 285.

⁴⁷⁷ ML (215) 282—287 n. III.; 553 n. CCXXXI.

⁴⁷⁸ MG (152) 1381—1387; J. Müller—Miklosisch „Acta et diplomata Graeca Medii Aevi“ Vindobonae (1860) I. 439—440.

⁴⁷⁹ V. Lah „De unione Bulgarorum cum Ecclesia Romana (1204—34) in Arch. f. kath. KR (1880) XCIV. pag. 226.

⁴⁸⁰ Pitra (Battandier) VII 39—48; 563—570.

⁴⁸¹ A. Pavlov „Первоначальный славяно-русский номоканонъ“ Kazaň (1869). pag. 66, nota 100.

⁴⁸² S. St. Bobčev „Старобългарски правни паметници“ Sofia 1903, pag. 32.

⁴⁸³ Cf. A. Pavlov o. c. pag. 66 nota 98; Bobčev o. c. pag. 22 nota 10; История pag. 127, nota 3.

⁴⁸⁴ Аще кто пойметъ женоу и боудеть є нею... и в'зведетъ на ню слово **ѧвѣнно**, глаголѧ: женоу сю **поѧхъ** и пришедъ к' ней не ѿбрѣтохъ ю дѣвцею... Аще ли боудеть войстинѣ слово се и не явится дѣвство **състро-ковицы** да изведоутъ дѣвицѣ пред' врата домъ отца єѧ и каменіє да подаютъ ю моужи градстіи и да оумретъ: **їкѡ** сотворї безоуміе въ сынехъ израїлевыхъ, блоудъ сотворши в' домѣ отца своеїшъ. (ed. Josifovskaja Kormčaja гл. ме. Cf. Srezněvskij o. c. pag. 73.)

⁴⁸⁵ „Аще кто прельстить неѡбѣщаниѣ дѣвицѣ и боудеть с'нею: вѣномъ да вѣнитъ єѧ и пойметъ ю себѣ в'женой. аще же вобранѧ вобранитъ и нехоще отецъ єѧ дати ємоу в'женоу, цѣнѣ да дастъ сребра отцѣ **такоже** єсть вѣно дѣвическо“ (ed. cit.).

⁴⁸⁶ Nam tardius receptae sunt iam allatae novellae Alexii I. Comneni Cf. Srezněvskij o. c. pag. 72.

⁴⁸⁷ Ob aliam eiusdem imperatoris novellam anni 1095 in Svetoslavskaja (Razjanskaja) tardius receptam (Srezněvskij l. c.); edita tantum in Kormčaja Josifovskaja (Beneševič) II. глава **мѣ**.

⁴⁸⁸ Cf. notam 486.

⁴⁸⁹ Cf editionem cl. Srezněvskij o. c. II. 180—199: Государственные постановления относящіяся къ Синтагмѣ въ XIV титлахъ (печатано по Новгородской кормчей 1284 г.) pag. 192—193.

⁴⁹⁰ Srezněvskij o. c. I. 75. Novellae ipsae sunt a. 1027 apud Leunclavium o. c. I. 204—205.

⁴⁹¹ „... въ дѣ пасхи ничто же не затварѧємъ въ темници ничто же свѧзаємъ, токмо прелюбодѣй и блoudникъ и въсъщатаи двѣю ... вси бо си всегда по своуси винѣ приемлютъ ...” гранъ 3 глава .1’ ed. Srezněvskij II. 185.

⁴⁹² „Въсътившай женоу или ѿброученоу или неѡброученоу или вдовоу ашѣ благодарна боудеть или раба или ѿслобоженаа и паче же бгви соуть жены ѿсвѧщеныи снрѣчъ чер’ници; аще же кто и свою ѿброучению въсътиТЬ аще оѹкѡ съ ѿроужиємъ и мечи и палицами въсъщенїе с’твориЛЬ боудеть; а съпособлющей емоу и свѣдоущай, хотѣніемъ пріем’шай сѣ иже каковое либо потщаніе створив’ше ѿ семъ бъеми и ѿстрижени носы ихъ оурѣзати. Ашѣ ли безъ вслакого ѿроужїа въсъщенїе створиша иже оубѡ въсъхищенїе створивый роуки его оусѣчены боудоутъ споспѣшствовав’шей же в’ таковомъ въсъхищенїи. иже каковое либо пот’щаніе ѿ томъ створив’шей бъеми и ѿстрижени поточени да боудоутъ”. Ita in Prochirone titulo XXXIX μ’ (in Slavonico 24) Книги законы editi a cl. A. Pavlov СПБ (1885) pag. 67. De origine Jugoslavica (resp. Bulgarica) cf. in recensionibus editionis cl. Pavlov publicatis a V. G. Vasiljevski et A. I. Sobolevski in ЖМНП ч. 243 (1886) стр. 324—326, 352—358.

⁴⁹³ Epistola est anni 1381—1383. Cf. Chr. Popov „Евтимий послѣденъ търновски и трапезицки патриархъ“ (1375—94 г.) Plovdiv 1901, pag. 194—195.

⁴⁹⁴ Сїе безмѣстно и смѣшно мн یавляет се. Дадим же и троебрачти се где поможит’ се вѣнъць на роуцѣ или на колѣнѣ... Смѣшно въсако ю и невъзможно — Оужасни се онѣбо ѿ семъ горица долѣ и правда безаконію! Въ истиноу бо ѿѣлное раздѣшеніе нравилъмъ паче же и эванлелію не двоебрачные нѣ и блoudники вѣнчавати се от свещенникъ сътвори“ ed. Kalužniacki o. c. pag. 249.

⁴⁹⁵ MG (119) 935—936.

⁴⁹⁶ Srezněvskij o. c. I. pag. 76 ms (Razjanskaja) fol. 347

⁴⁹⁷ Textus corrigendus: „in tardius recepta responsione canonica Nicetae Heraclensis“ (1261—82) — Cf. Srezněvskij o. c. I 76, ms (Razj.) fol. 345.

⁴⁹⁸ Gf. editiones librorum liturgicorum a cl. Syrku et Kalužniacki paratas et iam allegatas (in nota 327).

⁴⁹⁹ Cf. notam 486.

⁵⁰⁰ Willermi Tyrensis Archiep. Historiae lib. XVI. cap. II. edit. „Recueil des historiens des croisades publi  par le soin de l’Accad mie des inscriptions et des belles lettres: Historiens occidentaux“ vol. I—2 Paris (1844) pag. 706.

⁵⁰¹ Eiusdem „Historiae“ lib. II. cap. 2 vol. I—2 Paris (1844) pag. 884.

⁵⁰² Eiusdem „Historiae“ lib. II. cap. 4 vol. I—1. Paris (1844) pag. 44.

503 Itinerario di la gran militia a la Pavese lib. II. cap. 2 ed. cit. vol. V. Paris (1895) pag. 676.

504 Cf. notam 11.

505 Pitra (Battandier) VII. 31 – 32; 321—324; 437—442; 509—512.

506 Cf. notam 348.

507 Disputatur vero inter historicos iuris Bulgarici, num de servitute proprie dicta agatur. Cf. „Istorija“ cl. Bobčev pars I. Ius constitutionale sect. I. cap. II. art. 2 § 4 et „Kurs po istorija“ cl. Blagoev § 54—57

508 Da fundamento huius normae iuridico-sacralis apud Slavos (Russos) refert Leo diaconus c IX „Δέγεται δὲ καὶ τοῦτο περὶ Τανροσκυθῶν μήποτε μέχρι καὶ νῦν ἐδουτοὺς ἔγχειρίζειν τοῖς δυσμενέσιν ἡττωμένους. ἀλλ’ ἥδη τῆς σωτηρίας ἀπαγορεύσαντες ὁθεῖν τε κατὰ τῶν σπλάγχνων σπλάγχνων τὰ ξίφη καὶ οὕτως ἐαντοὺς ἀναφερεῖν. τοῦτο δὲ πράττοντοι δόξαν κεκτημένοι τοιαύτην φασὶ γὰρ τοὺς πρὸς τῶν ἐναντίων κατακτεινομένους ἐν τοῖς πολέμοις μετὰ τὸν μόδον καὶ τὴν ἐκ τῶν σωμάτων διάξενεῖν τῶν ψυχῶν ἐν ἄδον τοῖς αὐθένταις υπηρετεῖν. Τανροσκύθαι δὲ τὴν τοιαύτην δεδιότες λατρείαν, ἀποστυγοῦντες δὲ καὶ τοῖς ἀναιροῦσιν αὐτοὺς ἐξυπηρετεῖν τῆς ἐαντῶν σφαγῆς αὐτόχειρες γίνοται. ἀλλὰ τοιαύτη μὲν ἡ ἐπικρατήσασα ἐν αὐτοῖς δόξα.“ Editio Niebuhrri C. F.-Bonnae (1828) pag. 151—152.

509 Cf. articulum praecedentem II. § 3 num. 2.

510 Peremptoire tamen non constat, num servitus proprie dicta in Bulgaria mediaevali exstiterit. Cf. argumenta pro et contra apud cl. Bobčev „Istorija“ pars I. Jus constitutionale sect. I. cap. II, art. 2 § 4.

511 Cf. chartam geographicam (statisticam) in dissertatione cl. Konsulowa „Die Großfamilie in Bulgarien“ Erlangen (1914) necnon exactam statisticam numericam in studio cl. Bobčev in SNU XXII. pag. 47—54.

512 Д. Цухлевъ „Антицърковни движения въ България прѣз. XIII. и XIV. вѣкозе“ in Duchovna kultura (1925) 64 sq. (1926) 204 sq. (1928) 65 sq. 167 sq.

513 Jireček „Dějiny“ cap. XIII (sub fine) et cap. XXV n. 4 pag. 187—188; 336—337.

514 MG (126) 307 – 308 epistola I. anonyma; alia editio (traductio) in ephem. Сборникъ на бълг. Академия на Науките XXVII (1931) pag. 1.

515 Jireček l. c.

516 Jireček „Cesty“ pag. 221; Marinov III 12.

517 Cf. notam 457.

518 Jireček „Dějiny“ pag. 32, 187.

519 Cf. Klaproth. M. „Mémoires relatifs à l'Asie“, cuius operis concinnatum argumentum (quoad Cumanos) invenies in „Grand dictionnaire universel“ du XIXe siècle par M. P. Larousse“ Paris (1869) tomo IV pag. 668.

520 l. c.

521 L'estoire de Eracles empereur livre 29 cap. 4—18. ed. cit. (Recueil) Paris (1859). vol. II. pag. 279—294; Raimundi de Aguileurs „Historia Francorum“ cap. 1. ed. cit. Paris (1866) pag. 236.

522 Klaproth. l. c.

523 Heic consulenda sunt opera cl. P. V. Golubinskij „Печенѣги, торки и половцы до нашествія татаръ“ Kiev (1884); Smirnov o. c. Kovalevskij „Законъ

и обычай на Кавказѣ“ Moskva (1890) 2. tom; N. S. Semenov „Собрание юридическихъ обычаевъ кумыковъ“ in Юридическое Сборьтие (1881) Nr. 29 и 30 et in genere tota litteratura, quae sese cum consuetudinibus iuridicis Mongolorum Caucasi colligendis praeoccupat. Elenchus sat compleetur habetur in Энциклопедический словарь“ СПБ (1884) vol. 26 pag. 848 sq.

⁵²⁴ Ita ex operibus modo allegatis! Cf. etiam Volkov o. c. SNU VIII, 216—256; XI. 472—510.

⁵²⁵ Jireček „Dějiny“ pag. 337.

⁵²⁶ Pitra (Battandier) VII. 47—50; 59—64; 67—68; 513—516; 517—522, 713; CCVII.

⁵²⁷ Cf. notas 696—697.

⁵²⁸ RNP I. resp. LI ML (119) 999; ЗСЛ чл. XIII (XV) ed. Bobčev pag. 88, 104; Книги законныя II. art. 55: „Иже двѣ жены имѣти коушатися не по закону но и произволеніе[мы] добрѣ подоиметь прелюбодѣянія казнь“ ed. Pavlov pag. 75.

⁵²⁹ Vatic. Graec. ms. f. 1025 Nr. 2198 II.

⁵³⁰ Mentem Byzantinam Theophylactus clare prodit in suo Commentario in Epistolam ad Romanos VII 1—3 in MG (124) 420.

⁵³¹ Cf. sect. II cap. III. art. I. § 1 n. II-6.

⁵³² Cf. sect. II cap. III. art. I. § 1 n. III-6 litt. d.

⁵³³ Cf. sect. II cap. III. art. II. § 3 n. 7.

⁵³⁴ Pitra (Battandier) VII 437—442.

⁵³⁵ Pitra (Battandier) VII 26.

⁵³⁶ Cf. sect. II. cap. IV art. II. n. 7.

⁵³⁷ In hoc enim concordabant omnes haereses. Cf. § 3 praesentis articuli III.

⁵³⁸ Pitra (Battandier) VII 119—120; 127—128; 175—176; 173; 192—105; 194—198; 539—540; 90—100; 557—558.

⁵³⁹ I. Synodik tsara Borila II. (editio melior a cl. Popruženko citata in introductione)

II. Vita et sors Patris nostri Hilarionis (editio melior cl. E. Kalužniacki) Житие и жизнь О. Н. Илариона.

III. Homilia presbyteri Cosmae contra Bogomilos (ed. critica adhuc desideratur) Cf. J. Trifonov „Le prêtre Cozma et son homélie concernant l'hérésie des Bogomiles“ in Revue de l'Académie bulgare des sciences Sofia (1923) lib. XXIX. pag. 1—77 (Bulgarice).

IV. „Epistola Patriarchae Theophylactis ad „tsar“ Bulgariae Petrum“ (Hic Theophylactus non est confundendus cum Theophylacte Graeco, qui sub fine saec. XI. Ecclesiam Achridensem regebat a. 1084—1107 aut 1108).

V. Jord. Ivanov „Bogomilorum libri et legendae“ [Bulg.] Sofia (1925). Recensionem operis quod et ad fontes et ad litteraturam pertinet a cl. Cuchlev D. paratam invenies in ephem. „Duchovna kultura“ Sofia (1926) pag. 117—128; (1929) pag. 82—91; 187—191; 273—288; (1030) pag. 88—95.

⁵⁴⁰ Dosev Chr. „История и учение“ Sofia (1923) 23 sq.

⁵⁴¹ Cf. auctores allegatos in nota sequente (excepto cl. Dosev); adde M. Jugie

„Phoundagiagites et Bogomiles“ in „Échos d’Orient“ XII (1909) 257 — 262.

⁵⁴² Ita fere omnes: Jireček „Dějiny“ (l. c.); Ilić A. Jordan „Die Bogomilen in ihre geistlichen Entwicklung“ (Paulicianer u. Bogomilen) Srěm. Karlovec (1923); Dosev Christo „История и учение“ Sofia (1924); Sharrenkoff „A Study of Manicheism in Bulgaria“ New-York (1927); Rački Fr. „Bogomili i Patareni“ in „Rad jugosl. Akademie“ vol. VII—X. St Gheorghieff „Les Bogomiles et Presbyter Kozma“ Lausanne (1920).

⁵⁴³ N. P. Blagoev „Курсъ по история на бълг. право.“ Sofia (1934) § 86; idem „Правни и социални възгледи на Богомилитѣ“ Sofia 1919; § 9 pag. 18—21.

⁵⁴⁴ Jireček „Dějiny pag. 148 (Ne každý dosáhl toho stupně (dokonalosti bogomilské.) Proto jich za největšího rozkvětu Bogomilstva počátkem XIII. století mezi miliony věřících (nedokonalých) nebylo více 4000 hlav.)

⁵⁴⁵ Cl. Volkov ait quidem in suo studio: „Свадбарскитѣ обреди по слав. народи“ in SNU (1892 VIII pag. 226: „Този послѣденъ прѣдразсѫдекъ (matrimonium esse pecaminosum sicut docebant Bogomili)... и до днѣсъ живѣе въ срѣбъския народъ споредъ чийто понятия бракътъ е грѣшенъ и въ епичния езикъ синътъ зове бащата си, родитель по гријеху т. е. грѣзъ грѣхъ“. Et dein subiungit: „Въ понатъшното изложение ще ни дойде редъ да се срѣщнемъ съ остатъци отъ подобни идеи и въ България“. Sed dein nihil aliud allegat; ex collectionibus iuris Bulgarici popularis contrarium apparent.

⁵⁴⁶ С.Б.Ю. О I-1 pag. 95—98.

⁵⁴⁷ L. Niederle „Život starých Slovanů“ Praha (1924) I 256. — Idem „Manuel de l’antiquité slave“ Paris (1926) II 48, ubi optime synthetizatur materiale ethnographicum hac de re!

⁵⁴⁸ Mecum cl. Baldžiev o. c. VII. pag. 152.

⁵⁴⁹ St. Zankow „Die Verwaltung der bulgarischen orthodoxen Kirche“ Halle Saale) pag. 74.

⁵⁵⁰ J. Pejška „Církevní právo“ Obořiště (1934) III. n. 232, 234. Perlege etiam epistolam Photii contra missionarios Latinos in Bulgaria in capite I. sect. II. art. II. § 2 nostri studii allatam.

⁵⁵¹ Etiam Theophylactus — ceteroquin mitigatus de coelibatu, Latinorum scribit „zelum quidem habent, sed non secundum scientiam et ex caeco amore sui Christi corpus (Ecclesiam) dilacerant“. MG (126) 239 et Demetrius Chomatenus in Latinos invehitur et commendat matrimonium sacerdotibus: Pitra (Battandier) VII 780—784. Cf. etiam commentaria interpretum Byzantinorum medioaevalium ad can. 4. Carthag. praesertim illud Mathaei Blastaris MG (144) 1202.

⁵⁵² Popov o. c. cap. I. § 4 pag. 13—14.

CAPUT IV.

IUS MATRIMONIALE BULGARICUM SUB DOMINATIONE OTTOMANA (AA. 1393—1860)

Introductio.

Non solum ius matrimoniale, sed tota provincia iuris privati Bulgarici sub dominatione Turcarum intacta remansit. Infideles Musulmani enim nihil aliud a christianis repetebant nisi subiectiō nem politicam et tributorum solutionem. Siquidem dein ius matrimoniale materia religiosa habita sit, tota legislatio eiusdemque applicatio sive in via administrativa sive in via iudicaria Ecclesiae commissa est.⁵⁵³

Qua de causa quaeri potest, utrum datus limes, qui evolutionem utriusque systematis matrimonialis (ecclesiastici scilicet et consuetudinarii) in duas epochas dividat, ad annum 1393, an potius ad saeculum XV ponendus sit, postquam nempe et Bogomilismus principalis divisionis inter utrumque sistema maceria corruit et postquam evolutio iuris ecclesiastici Byzantini puri in Bulgariam introducti imperio Byzantino expugnato (1453) obstructa est. Cum criterium, quod utrumque epocham distinguat, sat indeterminatum sit, criterium scil. fusionis utriusque systematis, datus limes ad amussim determinari nequit. Subiugatio imperiorum Bulgarici et Byzantini Ottomanis ex una parte et introductio iuris matrimonialis Byzantini puri in totam Bulgariam, expugnatio Bogomilismi, obtruncatio ulterioris evolutionis iuris matrimonialis ecclesiastici, denique partialis fusio eiusdem cum consuetudinibus popularibus ex parte altera sese habent ad invicem sicut causa ad effectum; idcirco datus limes ab a. 1393 usque ad secundam medietatem saeculi XV exclusive porrigi potest.

Analogice terminus „ad quem” nostrae epochae (annus 1860) discuti posset. Hoc enim anno (1860) tantummodo Bulgari Macedones ex Kučkuš (prope Thessalonicanam) et Bulgari Constantino-politani unioni cum Ecclesia catholica adhaeserunt;⁵⁵⁴ dein conversiones „in massa”, uti dicitur, continuarunt usque ad annum

1888 et unaquaeque communitas, unusquisque pagus unionem desiderans, inter unionis conditiones conservationem iuris sibi proprii⁵⁵⁵ posuit; cum vero iam anno 1860 Ecclesia Bulgarorum Unita, licet „pussilus grex“ existens, qua talis constituta sit nec a. 1888 ante leges matrimoniales „Exarchijskij Ustav“ promulgatas (a. 1897) substantialis mutatio sive in iure consuetudinario sive in iure scripto facta sit, terminus ad quem indifferenter aut ad annum 1860 aut ad annum 1888 poni potest. Individuales posteriores conversiones utique non attenduntur.

Nullam aliam nationem quam Bulgaricam tantopere influxum Turcicum subiisse plerumque affirmatur.⁵⁵⁶ Quod utrum et quantum de iure matrimoniali consuetudinario affirmari possit, in articulo separato examinabimus.

Articulus I.

Iuris matrimonialis ecclesiastici modificationes.

Theoretice iterum distinguere inter autonomam Archiepiscopiam Achridensem, quae nonnisi a. 1767 Patriarchatui Constantinopolitano incorporata est,⁵⁵⁷ et inter ceteras Bulgariae eparchias, quae a. 1393 Metropolitae Moldaviae⁵⁵⁸ et post a. 1453 ipsi Patriarchae Constantinopoleos subiectae sunt, deberemus.⁵⁵⁹ Quae distinctio utilissima, imo necessaria pro iure ecclesiastico constitutionali, processuali et poenali, nullius momenti imo pro iure prorsus inepta esset, quo sacramentorum administratio regitur. Quamvis enim theoretice idem ius administrativum matrimoniale Constantinopi et in tota Bulgaria ecclesiastice non exempta vigere debuisse, nihilocieus eae tantum receptae sunt Patriarcharum Constantinopolitanorum synodales decisiones et sententiae, quae in collectionibus usitatis sive Graecis sive Byzantino-Slavis inveniebantur, sicut ex alia parte hierarchia Achridensis receptionem praedictarum collectionum non recusabat. Alia vero divisio facienda est, distinctio scilicet inter ius matrimoniale secundum collectiones Byzantino-Slavonicas, quas adhibebat clerus Bulgarus, et inter disciplinam matrimonialem secundum collectiones Byzantino-Graecas, quibus numerosior hierarchia Grae-

ca (uti dici solet) Phanariotica utebatur. Principia generalia erant utrisque communia.

Principium synodalismi de immutabilitate canonum fundamentalium retinetur. Episcopi et Archiepiscopi Achridae in sua inthronisatione iurare solebant sese accipere et servaturos esse inviolabiliter canones sanctorum Conciliorum oecumenicorum. Quodsi haec temerarie transgrediebantur, non semel depositi sunt, maxime ob permissam tetragamiam successivam.⁵⁶⁰

E contra oeconomia dispensationis mutatur et in ipso Harmenopulo codice principali et fere exclusive sub dominatione Ottomana usitato, authorisatur plene praxis dispensandi seu *συγκατάβασις*. Quae vero impedimenta indispensabilia, quae dispensabilia sint, nullibi indicatur, nam praxis illa dispensandi usque ad novissima tempora potius abusiva considerabatur. Certe dispensatio ab impedimento stabilito in aliquo ex canonibus fundamentalibus semper ipso facto irrita considerabatur.⁵⁶¹

Distinctio inter canonem et legem in Bulgaria semper mere theoretica, Archiepiscopia Achridana excepta, in qua leges Byzantinae canonibus haud raro praevalebant, fit nunc mere historica. Hexabiblos Harmenopuli indiscriminatim leges Prochironis cum decisionibus Patriarcharum Constantinopolitanorum iuxtaposuit, exinde antinomiae innumerare ortae sunt, quae in iurisprudentiam spontanee transfundebantur.

Ita in ipso Harmenopulo textus iuris Romani-Classici inveniemus, qui matrimonium esse relationem facti adhuc supponunt: „Qui cum muliere libera, quae quaestum corpore non fecerit, consuescit: non concubinam, sed uxorem eam habere videtur.”⁵⁶² Nihilominus in iurisprudentia matrimoniali duo vestigia superstite huius conceptus Romani disparent:

a) separatio a toro et mensa admissa est, ut divortium ex repudio a iure consuetudinario autorisatum eradicetur.⁵⁶³

b) admissa est etiam conditio matrimonii suspensiva: *virginitas sponsae*. Iam monuimus deflorationem sponsae in iure Bulgarorum consuetudinario conditionem suspensivam valoris coniugii non constituisse, quia mulier deducta in domum mariti iam exinde nupta consideraretur. Quia vero haec causa divortii sine ulteriore processu executioni populo committebatur et quia

etiam hierarchia (sive Graeca sive Bulgarica) nullum processum instruendum exigebat, defectus virginitatis sponsae in iure ecclesiastico potius ut conditio suspensiva, non vero ut causa divortii matrimonii valide contracti admissus videtur; nam causae divorii pro iure ecclesiastico semper taxativae remanserunt, matrimonium ex principio semper insolubile considerabatur, qua de causa absque processu solvi non poterat, quotiescumque de sententia nullitatis constitutiva agebatur.⁵⁶⁴

Cl. Catoire in articulo „Le divorce d'après l'Eglise Catholique et l'Eglise Orthodoxe“ affirmat causas divorii in Ecclesia Graeca, quae per quinque saecula in Bulgaria praedominaverat, esse demonstrativas tantum: „Le bien du mariage peut être rompu par toute raison grave et juste: *κατὰ αἰτίαν εὐλογού*. Cette expression est celle du droit et des canonistes grecs. Ce principe est formellement admis par les canonistes grecs depuis Justinien. Selon ce principe des motifs plus ou moins nombreux peuvent être proposés à titre d'exemple mais aucune liste n'est exhaustive, aucun principe n'étant épuisé par les applications, si nombreuses soient-elles, que l'on en déduit.“⁵⁶⁵ Quod verissimum est, si sola praxis abusiva spectaretur, praesertim illa, quam Metropolitae Graeci in Bulgaria inde a saeculo XVIII usque ad finem eorumdem dominationis ibidem monstraverunt.⁵⁶⁶ Ipsos vero a principio theoretico non recessisse activitas repressiva probat, quam contra divortium consensuale et contra divortia ex repudio atque ex derelictione a iure consuetudinario admissa evolverant.⁵⁶⁷

Maximi momenti innovatio est introductio *bullae* seu delegationis Episcopi vel eiusdem vicarii facienda sacerdotibus de casu ad casum, ut nupturientes coronent. Praecisa data introductionis huius bullae in Ecclesia Byzantina hucusque determinari non potuerat, certum est tantum illam in Ecclesia Constantiopolitana saltem sub fine saeculi XIV extitisse.⁵⁶⁸ Post Episcoporum Byzantinorum in vacantes sedes Bulgariae inthronisationem certe etiam heic bullae requirendae necessitas invaluit. Saeculo tamen XIX. et forsitan iam antea usus obtinuit, ut ipsi nupturientes illam ab Episcopo vel eiusdem vicario requirerent et dein sacerdoti iurisdictioni Episcopi subdito ostenderent, qui coronationem recusare non potuit, salva exceptione falsi, practice absque

dubio rarissima.⁵⁶⁹ Ita bulla mutavit decursu saeculi XIX. vel etiam antea suum scopum primordialem, i. e. ex actu delegationis facta est medium revisionis, munimen contra matrimonia illegitima. Hac praecise via multo magis ac per causas divortii, quae sat rarae erant, elementa iuris christiani in ius consuetudinarium et e converso penetrasse videntur.

Momentosa quaestio, utrum principium Romanum de lege irritante pro iure ecclesiastico matrimoniali non solum in legislazione, sed etiam in iurisprudentia in vigore manserit necne, decidi potest tum ex iure consuetudinario matrimoniali tum ex iure hereditario, in quantum causae relativae a clero decidebantur: si enim filii ex prohibito matrimonio procreati, sive ante sive post divortii sententiam a clero semper spurii aut naturales considerabantur et uti tales una cum matre hereditatem consequebantur, clarum est de matrimonio ipso facto irrito agi seu principium Romanum Iustinianum „ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt“ obtinere.

In capite III praeliminari diximus ius matrimoniale consuetudinarium non nosse impedimenta dirimentia; quod tamen valet de iure matrimoniali nondum christianisato aut de iure consuetudinario valde imperfecte christianisato in quibusdam regionibus Bulgariae. Ubi vero principia canonica in consuetudines populi profundius radices iecerant, ibi clare inter declarationem nullitatis matrimonii et inter solutionem vinculi validi разлучване и разоржение distinguebatur.⁵⁷⁰ Novissima legislatio orthodoxorum in parte VI Statuti Exarchatus inter haec duo instituta non distinguit⁵⁷¹ et praecise ex hac ratione invaluit iurisprudentia, de qua cl. Alex. Bělev refert: „Iuxta praxim S. Synodi matrimonium illegitimum est matrimonium validum usque ad sententiam!“⁵⁷² „Haec confusio inter duo praedicta instituta (declarationem scilicet et constitutionem nullitatis matrimonii)“, scribit cl. Baldžiev, „haud concordat cum iure consuetudinario quod clare distinguit inter matrimonium nullum et annullabile.“⁵⁷³

Quodsi quaeramus, quandam matrimonium nullum habitum sit ita, ut eiusdem eventualis solutio non esset nisi declaratio nullitatis, et quando e converso annullationi subiectum sit, videmus

hierarchiam sive Graecam sive Bulgaricam usque ad saec. XIX (ad a. 1860 circa) nullatenus declinasse a clara iurisprudentia mediaevali, quam pro Bulgaria praesertim ex actibus Demetrii Chomateni cognovimus. Praeterquam ex aetate et impotentia cetera omnia impedimenta matrimonium ita irritant, ut ex officio ad declarationem nullitatis procedendum sit. Etiam populus de „razlučvanie“ seu de nullitatis declaratione loquebatur.⁵⁷⁴ Coniugia illegitima propter defectum aetatis aut impotentiam sustinebantur, quotiescumque privatorum pactis divertio urgendo renuntiatum est.⁵⁷⁵ Cl. Baldžiev⁵⁷⁶ ad impedimenta iuris privati, quae requisita appellat, praeter potentiae et aetatis defectum etiam defectum consensus parentum et defectum virginitatis adnumeravit, at immerito, in quantum ad nostram quaestionem. Virginitas est enim tacita et privata conditio, quae quidem nisi ducatur vi-dua aut puella notorie deflorata praesumitur posita, haec tamen praesumptio est iuris tantum (ita ipse auctor!); idcirco non agitur de impedimento proprie dicto. Defectus consensus parentum aut illorum, in quorum potestate nupturientes constituuntur, quondam erat quidem lex matrimonium irritans. At fortasse iam medio aevo, certe dein sub dominatione Ottomana ipsi derogari coeptum est ita, ut ex impedimento dirimente mere impediens factum sit. Casu enim, quo parentes consensum denegarunt (casu nempe raptus aut fugae), ipse Episcopus vel eiusdem vicarius assensum illum tacite supplebant. Nunquam vero eiusmodi matrimonium dissolvi potuit ad instantiam partis ex hoc capite, quod consensus parentum sponsae defuerat. Nam nisi utraque pars liberum consensum declarasset (post raptum aut fugam), non coronabatur; quo declarato, clarum est utramque partem requisito consensus parentum (= patrifamilias) et familiae sponsae renuntiasse.

Quoad ius hereditarium notandum imprimis: lites huiusmodi sat raro ad tribunalia ecclesiastica delatas esse propter „zadrugam“ sub dominatione Ottomana late diffusam, in qua hereditatis questiones non occurribant. Etiam causae de peculio singulorum membrorum zadrugae a successoribus percipiendo plerumque ab ipso patrifamilias eiusque consilio expediebantur.⁵⁷⁷ Quotiescumque vero clerus causam successionis decidere debuerat, pri-

mo loco bonam et malam fidem illorum, qui matrimonium illegitimum inierant, respiciebat et secundum haec inter matrimonia putativa et invalida distinguebat; in secundo casu filios ex prohibitis coniunctionibus procreatos hereditate privare solebat.⁵⁷⁸

Ex sententiis nullitatis coniugii nihil deducitur pro nostra quaestione: Dictione enim generali *Διαλύεται ὁ γάμος* (solvitur matrimonium) utuntur ita, ut non appareat, utrum de sententia declarativa, an de constitutiva agatur; nec semper causam divortii indicant. Praeterea paucissimae sunt, quae conservantur, nam persaepe oraliter et arbitrarie matrimonia solvebantur.⁵⁷⁹

Mentem iurisprudentiae ecclesiasticae sub dominatione Ottomana clare produnt manualia practica vetustiora cl. Genadiev, Meletyj, Bakalov, Stržoz, quae quo vetustiora eo clarius identificant matrimonium illegitimum cum matrimonio invalido: недѣйствителенъ = беззаконенъ.⁵⁸⁰

Ceteroquin in commentariis maxime usitatis, Syntagmate scil. Blastaris et Harmenopulo, principium Romanum de lege irritante et inhabilitante expresse statuitur. Blastares ait: „Quod fit contra canones, valere non debet“ Τπὸ τῶν κανόνων κεκωλύμενον οὐκ ὀφείλει κρατεῖν⁵⁸¹ minus clare in textu Slavonico „Отъ правиль възбранено не дльжно юсть дръжти сю“ (id quod canonibus prohibetur, sequendum non est).⁵⁸² Item Harmenopulos repetit: „Ubi lex certa est, servare eam oportet neque valet, quod praeter eam factum est, quantumlibet sit aequum.“⁵⁸³ Quae regulae generales ad probationem nostrae assertionis per se non sufficerent, nam „omnis regula iuris imbecillis est; facile enim subvertitur“ (Harmenopoulos).

In iure sive Byzantino-Graeco sive Byzantino-Slavo matrimonia clanculum celebrata prohibita sunt; prohibitio iam canonibus fundamentalibus nititur.⁵⁸⁴ Utrum irritatione munita sit necne, non constat. Principium generale de lege irritante ipsi non applicatur, quia non substantiam (seu ipsam incoronationem) actus, sed circumstantiam tantummodo („clanculum“) prohibet.

Videamus modo modificationes quoad singula impedimenta factas!

§ 1. *Ius matrimoniale Byzantino-Slavonicum.*

Adhuc sub fine saeculi XIV traductum est in linguam Bulgariam veterem Syntagma alphabeticum Mathaei Blastaris cum

consuetis additionibus: Canonario Ioannis Jeunatoris, Responsis Nicetae Metropolitae Heracleensis, Regulis Nicephori confessarii Constantinopolitani et cum responsis Ioannis Episcopi Citri ad Cabasilam episcopum Dyrrhacii, ex quibus responsis aliqua sunt Demetrii Chomateni.⁵⁸⁵

Eodem fere decennio ex Serbia collectio appellata „Lex Imperatoris Iustiniani“ seu *Sudac* diffusa est.⁵⁸⁶

Quia vero utrumque opus ut legislativum non est receptum, sed paulatim per iurisprudentiam obtinebat, innovationes in ipsis contentas potius in epocham subsequentem, i. e. secundam pone-re debemus.


„Sudac“ in relatione ad ius Byzantino-Slavum medioaevale nullam innovationem pro iure matrimoniali continet: sed solum de effectibus penalibus quorundam impedimentorum agit.

Blastaris Syntagma vero *culmen* evolutionis iuris Byzantino-Slavonici matrimonialis in Bulgaria designari potest. Innovatio-nes maxime ad impedimenta cognationis sese referunt.


Consanguinitas ad septimum gradum et quidem ad validitatem extenditur.⁵⁸⁷ Antea erat solummodo ad liceitatem, quia receptio synodalis decisionis Patriarchae Lucae Chrysobergae ab Imperatore Manuele I Comneno confirmatae in ius Byzantino-Slavonicum medio aevo durante probari nequit.

Affinitas ex digeneia ad quintum gradum incondicione, ad sextum et septimum extenditur quotiescumque confusio nominum, id est (2+4) et (3+3) verifi-catur. Item coniugium cum sobrina uxoris defunctae (aut viceversa) invalidum consideratur. In septimo gradu confusio nominum in duobus typis matrimonii (1+6) et (3+4) III., non vero (3+4) IV. ve-rificatur.⁵⁸⁸ In collectionibus Byzantino-Slavonicis antecedentibus praeter gradum quartum illegiti-mae habebantur solummodo duae combinationes (2+3) et (2+4).


Pro affinitate ex trigeneia Blastares affirmat legem impedi-menti ex iurisprudentia sese extendere usque ad quartum gra-




I.



II.



III.



IV.

dum inclusive (contra primum gradum antea in Svetoslavska Kormčaja taxative stabilitum).⁵⁸⁹

Principio quasi-exaequationis inter sponsalia ecclesiastica et matrimonium retento, patet extensionem affinitatis ex matrimonio automatice etiam quasi-affinitati ex sponsalibus applicari debuisse.⁵⁹⁰

Prima vice in textu Slavonico de impedimento adoptionis ritu ecclesiastico peractae mentio fit; quousque vero extenditur, Blastares nec pro cognatione spirituali ex adoptione nec pro cognatione spirituali ex baptismo decidit; ait enim: „Affirmant aliqui, quod tam ex canone quam ex lege maior illa spiritualis quam carinalis cognatio statuatur (ita, ut) hac (spirituali cognatione) colligati observare debeant prohibitos gradus usque ad septimum: tot scilicet numero, quot etiam in consanguinitate soleant observari. Verum pluribus hoc minime visum est, sed ad eas dumtaxat personas prohibitionem pertinere volunt, quae lege continentur.”⁵⁹¹ Praeterea Blastares novam pro Ecclesia Bulgarica impedimentorum divisionem indicat, distinguens inter matrimonia „nefaria seu illegitima, quae prohibentur tantummodo a legibus, veluti tutoris cum ea, cuius tutelam gerit; et inter damnata seu vetita, quae sacri canones dumtaxat dirimenda statuunt, cum leges (insuper) velint eorum bona, qui eas contraxerint, publicari atque ipsos relegari, uti quae contrahuntur cum muliere Deo consecrata; et inter incesta seu illicita (quae in utroque iure prohibita et punita sunt) qualia sunt, quae cum cognatis intercedunt aut cum haereticis.”⁵⁹²

Eandem divisionem Harmenopoulos agnovit; terminologia sollelummodo differt: „Quid differunt nuptiae incestae, damnatae et nefariae? Incestae sunt quae ex sanguine constant... Damnatae, quae sunt vetitae, veluti tutoris cum pupilla et liberti cum patrona. Nefariae, quae sunt illegitimae, veluti cum monacha vel sanctimoniali aut cum rapta.”⁵⁹³ Criterium divisionis est duplex: a) auctoritas quae legem stabilivit; b) sanctiones adiunctae. In genere dicendum ius ecclesiasticum orientale (Byzantium) duas tantum distinctiones adhibuisse: primam inter impedimenta iuris privati et iuris publici; alteram inter impedimenta cognationis et impedimenta praeter necessitudinis relationes stabilita.⁵⁹⁴

Quae ultima distinctio, implexis regulis computationis graduum cognationis et nimia extensione eorundem spectatis, certe non est spernenda; scientifico valore tamen caret. Rationem, cur in nostra epocha distinctio inter impedimenta dispensabilia et in-dispensabilia in theoria nondum accessisset, iam indicavimus: Praxis condescendentiae seu τῆς συγκαταβάσεως abusiva considerabatur et sat arbitrarie exercebatur.

Additiones ad Syntagma proprie dictum de coronatione bigamorum loquuntur: Dum metropolita Nicetas de praxi magnae Ecclesiae Constantinopolitanae refert, quae bigamis etiam sponsalitas coronas imponit.⁵⁹⁵ Nicephorus confessarius adhuc vetustam regulam tenet: „Bigamus non coronatur, quin potius censuram habeat non percipiendi immaculata sacramenta duobus annis; trigamus vero annis quinque.“⁵⁹⁶ De facto praxis magnae Ecclesiae Constantinopolitanae nunc etiam in Bulgaria invexit, imo paulatim etiam trigami ad coronationem admittebantur.⁵⁹⁷ Similiter iuxta Nicetam Heracleensem⁵⁹⁸ coniugium inter filiam suscepti et filium ex sorore susceptoris (quintus gradus cognationis ex baptismo) permisum esset. Ex iure consuetudinario vero docemur applicatam esse etiam a clero Bulgaro⁵⁹⁹ rigorosam illam sententiam, secundum quam impedimentum ex cognatione spirituali sicut impedimentum ex sanguine extendendum esset.

Anno 1650 in Russia pro prima vice prodiit „Liber directionis“ typis impressus⁶⁰⁰ iuxta Patriarcham Moscoviensem Josephum, qui editionem faciendam ordinaverat, *Josifovskaja Kormčaja* appellatus. Tribus annis post secunda emendata editio patriarchae Niconis apparuit, quae tamen nullam emendationem pro iure matrimoniali attulit. Tertia editio anni 1787 (reedita annis 1804, 1816, 1823) vix officialiter, i. e. ab Episcopis Bulgaris, applicata est, quia illo tempore in Bulgaria iam exclusive hierarchia Phanariotica regnavit.⁶⁰¹ Etiam anterior versio „Josifovskaja“ et „Nikonskaja“ minimi momenti est pro nostra epocha. Valde probabile quidem est monachos aliquos Bulgares aut ex monte Athos aut ex Russia ipsa aliqua exemplaria earundem attulisse, tamen propter exiguum numerum sive exemplarium sive episcoporum nationis Bulgaricae,⁶⁰² qui eis uterentur, nulla ex specialibus praescriptionibus in Bulgaria obtinuerat. Ita praescripta capituli L (LI)

ex Rituali Romano Pauli V Pp. desumpta in Bulgaria nunquam esse applicata vidimus. Impedimenta matrimonialia secus eadem sunt ac in Blastari, cognatione spirituali excepta, pro qua Liber directionis paritatem cum cognatione ex sanguine proclamat: „Ex sacro baptismate matrimonium prohibetur ab Ecclesia usque ad septimum gradum et permittitur in octavo... Item in adoptione (ecclesiastica).”⁶⁰³ (Continuabitur.)

⁵⁵³ Hammer „Histoire de l’Empire ottoman“ Paris t. III. pag. 3 reconstruit deperditum „fermanum“ Mahometis II. anni 1453; de absoluta libertate pro sphaera iuris privati praesertim matrimoniali omnes testantur.

⁵⁵⁴ Mansi-Petit XLV. 51, 53.

⁵⁵⁵ Mansi-Petit XLV. 95, 113.

⁵⁵⁶ Ex. gr. Pascaleff o. c. 65; Ischkiroff „La Macedonie et la Constitution de l’Exarchat bulgare“ Lausanne 1918, pag. 3.

⁵⁵⁷ Iv. Sněgarov „История на охридската архиепископия — патриаршия“ Sofia 1932; II. 107—118.

⁵⁵⁸ S. Vailhé „[La] Bulgarie“ in „Dictionnaire de théologie catholique“ Paris 1910; II-1 col. 119.

⁵⁵⁹ G. P. Genov „Положението на христианите в Турция според мюсюлманското право“ Sofia 1923! pag. 87.

⁵⁶⁰ Cf. A. Šopov—G. Stržev „Кодексъ на Охридската триаршия“ in SNU VI (1891) pag. 207, 213, 223 X. (1894) pag. 536, 543.

⁵⁶¹ MG (150) 93; Cf. Zhismann o. c. 713 sq. Milaš o. c. 73—74.

⁵⁶² Lib. IV. tit. IV. vers. 21 edit. Heimbachiana pag. 490.

⁵⁶³ Baldžiev o. c. VIII 200.

⁵⁶⁴ Nam Ecclesia numquam divortium consensuale agnovit. Cf. Zhisman o. c. 99—107, Baldžiev I. c.

⁵⁶⁵ Échos d’Orient XIV (1911) pag. 169

⁵⁶⁶ Cf. documenta publicata a cl. Sněgarov in „Annuaire de l’Université de Sofia VI. Faculté de théologie“ vol. XI., XII., XIII. (a. 1933—36): „Der alte Kirchenkodex von Tirnovo [Dokumente]“ num. 49, 50, 66, 100, 103, 104, 170, 187, 188, 210, 224, 247, 249, 250, 251 necnon testimonia illorum, qui ius consuetudinarium collegerant, in nota 639.

⁵⁶⁷ Baldžiev o. c. VIII 198—214.

⁵⁶⁸ Rhalles ΣV. 588; Acta Patr. Const. II. 297—299, 303—304.

⁵⁶⁹ Baldžiev o. c. VII. 153 et ita hucusque: cf. Zankow „Verwaltung“ pag. 140, nota 3.

⁵⁷⁰ Baldžiev o. c. IV. 185, 187, 191.

⁵⁷¹ Ex Ustav čast VI gl. II. čl. 187—191 gl. VI. čl. 201—202; Cf. Tančef o. c. II. pag. 33—104; 163—190.

⁵⁷² Allatum iam in nota 150.

⁵⁷³ Baldžiev I. c. cui distinctioni non repugnant vestigia consuetudinarii divortii

consensualis aut unilateralis ex repudio vel quasi-derelictione Cf. ibidem VIII 198—204.

⁵⁷⁴ Gf. art. II. praesentis capit. 5.

⁵⁷⁵ Cf. art. II. praesentis capit. num 1 et 3.

⁵⁷⁶ o. c. IV 187—193.

⁵⁷⁷ P. V. Odžakov „Наслѣдственото обычайно право“ Русе (1885); S. St. Bobčev „История“ pag. 527—534. Idem „Droit contumier judiciaire bulgare“ in SNU XXXIII. (1917) pag. 22—25, 53.

⁵⁷⁸ Baldžiev o. c. IV. 179; VII 156—157.

⁵⁷⁹ Cf. documenta in nota 566 citata. Ad rem scribit cl. Bobčev in suo „Черковно право“ Sofia (1927) § 149: „колкото за практиката на гръцкото духовенство у насъ при разторгане на браковетъ... ние намъраме една върна картина изобразена въ решение на нашия Св. Синодъ (Nro 11. O. VI. 1898 год.) въ което е казано: „тогава при гръцкитъ митрополити нѣмаме учреждения та да се държи и води въ надлеженъ редъ архива, каквато днесъ сѫществува при нашите епархиални власти... Той без никакви ограничителни формалности съ приста дума разторгаваше браковетъ разрешаваше родства — много пѫти забранени отъ черковата.“

⁵⁸⁰ Genadiev o. c. § 66, 68, 72, 73; Strězov o. c. pag. 40, 41, 48; Meletyj o. c. pag. 552—553; Bakalov o. c. II. 130.

⁵⁸¹ Blastares o. c. Г cap. 2 — MG (144) 1150.

⁵⁸² Blastares I. c. editio St. Novaković: Beograd 1907, in Зборник за историју, језик и книжевност сриског народа“ книга IV., pag. 160. In editione abbreviata (parata a cl. Florinskij o. c.) hic textus deest.

⁵⁸³ lib. I. tit. 1. vers. 24. ed. Heimbach pag. 28.

⁵⁸⁴ Can. 1 et 58 Laod.; 31 Trull. Cf. Milaš o. c. pag. 648 n. 5.

⁵⁸⁵ Cf. studium cl. Beneševič „Два списка славянского перевода Синтагмы Матвея Властаря въ Спб. Синодальной библиотекѣ“ in „Извѣстія отдѣленія русскаго языка и словесности императорской Академіи наукъ“ (1901) томъ VI. книжка 4-я. СПБ стр. 152—227. Cf. etiam S. St. Bobčev „История“ pag. 166—168.

⁵⁸⁶ Editus a cl. Florinskij „Памятники законодательной дѣятельности Душана“ Kiev (1888) Приложенія pag. 52—54.

⁵⁸⁷ Съставъ (*Συντάγμα*) litt. В cap. VIII. (edit. Florinskij pag. 124—125.)

⁵⁸⁸ Съставъ (*Συντάγμα*) litt. В cap. VIII. (edit. Florinskij pag. 126—128.)

⁵⁸⁹ Съставъ (*Συντάγμα*) litt. В cap. VIII. (edit. Florinskij pag. 139—142.)

⁵⁹⁰ Съставъ (*Συντάγμα*) litt. Г cap. XV. (edit. Florinskij pag. 151—154.)

⁵⁹¹ Съставъ litt. В cap. VIII. „Крѣпеть же се оубо нѣціи тако понеже от правиль и закона болше дхвнное пльтскаго съродства оустановляется дижность еже сіимъ съ свезаннымъ съблюдати възбраниенныє степени даже до Ѹ-маго. юликихъ таўѣ и въ иже по кръвы съродствѣ множаишіимже се не възмѣсе, нѣ единага же реченнымъ закономъ обиетаавъзбранити се лица.“ edit. Florinskij pag. 134.

⁵⁹² Съставъ litt. Г cap. IX. „От иже незаконно бывающихъ браковъ овы

оубо гл̄ютсе нелѣпотны ѧкоже съ съродники или еретики обы же зако-
конопрѣстоўпны ѧкоже съ еи же приставник бѣ овыиже осоуждены ѧко-
же иже съ възложению дви иже бжствнаа оубо правила разлоучати тъкмо
повелѣваютъ.” (editio Florinskij pag. 143.)

593 lib. IV. tit. VIII. vers. 11 ed. Heimbach pag. 514—516.

594 Cf. sect. II. cap. III. art. I. n. 5, 6 et Zhisman o. c. 215.

595 Beneševič ed. cit. pag. 169. [MG (119) 936.]

596 „Двоеженецъ невѣнчается на и запрѣщение прїемлеть не примѣстисти-
тися прѣчистыи тайнъ лѣтѣ двѣ троежене'ц' же: лѣть пять” editio cl. Be-
neševič (o. c. pag. 182) — In textu corrigas: Nicephor confessor (non „confessarius”!)

597 Tantummodo aliae preces (simpliciores) recitabantur et hucusque recitan-
tur). Cf. Genadiev o. c. §§ 98—102. In collectionibus iuris consuetudinarii ne ver-
bum quidem de denegata coronatione bigamis aut trigamis.

598 Rhalles ΣV 442; editio Slavica Beneševič o. c. 169.

599 С.Б.Ю. О I, pag. 72—75; Krauss o. c. 606—618; Marinov Ж. Ст. IV. pag.
148 n. 159; Bogišić „Zbornik” n. 84; Baldžiev o. c. V. 189—163.

600 Č. Mitrovits „Nomokanon der slavischen morgenländischen Kirche oder
die Kormtschaja Kniga” Wien u. Leipzig 1898, 48 sq.

601 Mitrovits: I. c.; Jireček „Dějiny” cap. XXIX. pag. 445—466.

602 Cf. S. St. Bobčev: „История” pag. 135-137; Mitrovits et Jireček ll. cc.

603 A. Pavlov „50я глава Кормчай книги” Moskva (1887) 109—121: „Еже
отъ св. крещенія сie даже до седмago степене запрещается ѿ цркви и раз-
рѣшается во осмомъ — Подобнѣ и сie отъ усыновлѣнія сродство . . .”
Ibidem pars II pag. 239.

RECENSIONES

„*Dušpastyr*”, folium graeco-catholicae dioecesis Mukačeviensis, quae
nunc ad Hungariam pertinet, interrupta per totum fere annum editione,
apparuit tamquam fasciculus 1—8 Nri anni 1939.

Lingua utitur generatim russica admixtis quibusdam elementis do-
mestici idiomatis (carpato-russici). Publicantur et aliquot tractatus lin-
gua hungarica. Quae primo loco novi fasciculi sunt scripta sub titulo
„Koleso istorii obernulosja”, gaudium exprimunt assecutae unionis
dioecesanae. Attamen adhuc sunt a centro graeco-catholicae eparchiae
Mukačeviensis separatae 42 parochiae in territorio Slovakiae et Mar-
maroš sitae.

—a

„*Pravoslavnyj put'*” vocantur novae litterae theologicae orthodoxae,
quae in Ladimirová in Slovakia bina vice in mense edi coeperunt. Has
litteras theologicas edendas decrevit synodus russicae hierarchiae
curam emigrantorum Russorum gerentis in suo ultimo conventu ha-

bito in Srëmski Karlovci in Jugoslavia, cui ideologia orthodoxi folii ab Academia Parisiensi sub nomine „Puf“ editi displicuit. Argumento primi fasciculi prodit „Pravoslavnyj Puf“ notam veteris conservatismi orthodoxi, cujus partes saepe defendendas propagandasque suscipere consuevit synodus Karlovicensis. Scribit ex. gr. in hoc fasciculo archimandrita Justinus (Popovič) „de suggestiva vi personae † metropolitae Antonii ejusque momento inter orthodoxos Slavos“. — Prof. A. V. Solovjev tractat ibi „de panrussica metropolia“ et episcopus Vladimirus reminiscitur tempus peractum in Academia Moscoviensi. Redactoris „Prav. Puf“ munere fungitur igumenus Filippus, qui in ultima synodo Karlovensi archimandrita est creatus. —a.

Prioratus ordinis sti Benedicti, qui inde ab anno 1926 pium desiderium Papae Pii XI. exsequens centrum actionis unionisticae in Amay s. M. in Belgio fundaverat ibique optimum ideam s. unitatis foyens folium „Irenicon“ edere consueverat, hoc anno novam sedem in Chevetogne in provincia Namur (60 km ab Amay distante) elegit, ubi conditiones actioni ordinis aptiores invenit. —a.

Nova organisatio ecclesiae orthodoxae in Germania initio mensis Novembris Berolini inter orthodoxum episcopum Pragensem Sergium et Berolinensem Archiepiscopum Serafim est statuta. Omnes orthodoxae paroeciae russicae in Germania et in Protectoratu Bohemiae et Moraviae hucusque jurisdictioni Parisiensis exarchae Eulogii subditae eparchiaie Berlinensi adjunguntur pro foro externo, quin eorum canonica subiectio vitaque interna ecclesiastica novo ordine tangatur.

Ivan Marianov, Aby všichni jedno byli. Výklad unijní otázky a sbírka modliteb za sjednocení církví. Olomouc 1939. Cena 11 K.

Centralis Apostolatus a ss. Cyrillo et Methodio Olomucensis edidit propriis sumptibus manuale quoddam bipartitum, auctore Ivan Marianov (sacerdote CssR. ritus byzantino-slavici). Prouti in proemio hujus libri commemorat Msgre Fr. Jemelka, praeparabatur anno 1939 Velehradii in Moravia VIII. conventus unionisticus — 500. anniversarium oecumenici Concilii Florentini celebraturus. Conventum Velehradensem temporum intempestate impeditum hoc manuale unionisticum quodam modo supplere intendit eadem via procedendo, prouti hoc Velehradii fiebat, studio nempe unionistici problematis et oratione. Ita evenit, ut editum manuale duabus constet partibus: Breviori (pp. 1—67) conspectu historico, ubi causae scissionis ecclesiasticae investigantur, via unitatis ejusque impedimenta necnon varii conatus unionistici ac spes futura illustrantur. Ampliori parte secunda (pp. 87—194) orationes, quae pro sancta unitate in Ecclesia Occidentali et Orientali funduntur, colliguntur in tanta ubertate ac pulchritudine, ut animum et

cor benevoli lectoris allicant. Est haec, ut ita dicam, quaedem prima et valde utilis confrontatio profundissimae devotionis utriusque Ecclesiae comparata. Editio hujus manualis unionistici certe prodesse potest ideae s. unitatis studio ac oratione fovendae. Redactor hungarici folii „Keleti Egyhar“ Dr. Szeman versionem hungaricam bohemici libri praeparat. Apostolatus a ss. Cyrillo et Methodio primam editionem hujus libri brevissimo tempore fere jam exhaustam esse sincero gau-
dio excepit.

—a.

Dr. Fr. Cinek, Basilika velehradská po obnově 1935—1938. Nákladem Dědictví sv. Cyrila a Metoděje v Brně. Tiskem Občanské tiskárny v Brně, cena 7 K.

Vetus basilica Velehradensis, in qua benedictio sti Methodii, primi Moraviae et Pannoniae archiepiscopi, in fructu suo permansit, annis 1935—1938 novo splendore sumptuosaे renovationis adornata est, prouti decebat ecclesiam haeredem antiquissimae historiae cyrillo-methodianae. Plus quam 700 annis est iam conjuncta cum basilica Velehradensi idea catholicitatis a sanctis Slavorum Apostolis disseminata, injuria temporum saepe humiliata usque ad pulverem terrae, sed divina vi imbuta iterum reviviscens. Cum praesertim ultimis decenniis conventus sic dicti unionistici Velehradensem basilicam cor quoddam spirituale effecerunt, in quo idea sacrae unitatis Ecclesiae communi et sincerissimo amore Uni Trinoque Domino toties iam offerebatur, liber optimi amatoris Velehradii ejusque historicae spiritualis scriptoris meritissimi, Dris Fr. Cinek, delineans fata historica simulque hodier-
num basilicae splendorem exponens, ab omnibus etiam exteris Vele-
hradii cultoribus gratissimo animo forsitan excipietur.

—a.

Hausherr Irénée S. J., Jean le Solitaire (Pseudo-Jean de Lycopolis). *Dialogue sur l'âme et les passions des hommes.* Traduit du syriaque sur l'édition de Sven Dedering. Orientalia Christiana analecta, 120, Pont. Institutum Orientalium studiorum. Romae 1939 (pag. 108): 22 lir.

Historia litteraturae syriacae iam a longo tempore indicat abundan-
tem collectionem operum asceticorum, quae conservantur in magno nu-
mero manuscriptorum sub nomine Johannis Solitarii. Enumeratio in-
scriptionum sufficit ad praesupponendum magnum momentum horum
documentorum, provenientium ex tam alta antiquitate christiana. Do-
cumenta manent perantiqua, quidquid dicendum sit de auctore eorum.
Nam traditio manuscripta incipit codice ex anno Graecorum 892, sive
anno 581 post Christum. (Pag. 6.) — Liber continet Dialogum Johan-
nis Solitarii de anima et de passionibus hominum, in versione gallica,
procurata a D. Sven Dedering. Originalis intentio in vertendo Dialogo
erat, ut inserviret Cursui de spiritualitate, qui in Pont. Instituto Ori-
entali tenebatur. Quia auctor versionis aliis laboribus impeditur, prof.

Ir. Hausherr editionem procuravit, nam textus non editus perditus es-
set pro plurimis lectoribus, qui secus libentissime eum cognoscerent.

Ad dialogum, contentum paginis 27. usque 95, professor Ir. Hausherr praemittit introductionem criticam (1—26), in qua solvit quaestio-
nes praevias et lectori scitu necessarias, i. e. de auctore, de fontibus,
de notis characteristicis, de influxu et de traductione dicti Dialogi.
Quoad auctorem Dialogi provocat editor ad relationem propriam, quam
proposuerat vigesimo Congressui Orientalistarum (mense Septembri
1938) et juris publici factam in Orientalibus Christianis Periodicis IV.
1938, p. 497—520. Quoad fontes attribuit editor Joanni Solitario in-
tegram originalitatem. Fundamentum suae doctrinae assumit Johannes
Solitarius a s. Paulo, inquantum distinguit hominem somaticum, psy-
chicum et pneumaticum. Profundam cognitionem manifestat Johannes
Sol. doctrinae platonicae, statuentis tripartitam psychologiam: $\sigma\tilde{\omega}\mu\alpha$,
 $\psi\psi\chi\eta$, $\nu\tilde{o}\tilde{u}\tilde{s}$.

Quae distinctio apud plures auctores orientales constituit functio-
nem fundamentalem ad regulas vitae spiritualis proponendas (veluti
apud Evagrium: „Abnega corpus et animam vivasque secundum intel-
lectum”), sed Johannes Solitarius propriam possidet conceptionem.
En verba ipsius editioris: „Mais précisément, selon Jean le Solitaire,
il ne s'agit pas de renier corps et âme, il s'agit de commencer par
pratiquer les vertus propres du corps et de l'âme. Autrement dit, corps
et âme ne sont pas des ennemis de la vie spirituelle, ce sont des instru-
ments et des degrés inférieurs de perfection.” (Pag. 8.)

Afferens notas characteristicas auctoris Dialogorum declarat editor
illum in institutione ascetica, conservans propriam originalitatem, in-
haerere *spiritualitati primitivae*. Fundat omnem suam spem „in vita
resurrectionem subsecente”. Supremus gradus vitae spiritualis hac
in terra consistit in hoc, ut plenam conscientiam habeamus de illa „spe
hominum”, et ut in conformitate cum illa vivamus et spirituales red-
damus passiones. Significativa nota apparet etiam ex usu vocis „theo-
ria”, quae postea tantum momentum habet apud escetas syriacos, in-
cipliendo a VI. saeculo. Non significat, una vice adhibita, contemplatio-
nen, sed idem ac „à la vue des gens”. Joannes Solitarius *non est mysticus* in sensu classico vocis, veluti s. Gregorius Nys., Macarius,
Evagrius. Secundum illum: „La proximité de Dieu, c'est l'obéissance
à ses commandements. La prière spirituelle, c'est la demande con-
cernant les choses invisibles. L'union avec Dieu, c'est l'adhésion de son
amour” (p. 90). Aliam notam Johanni propriam videt editor in eius
„tendentia scientifica”. Influxus plenus Johannis Solitarii patebit,
quando omnia opera eius et integra hereditas eius nobis accessibilis
reddetur.

„Et redisons en terminant ce chapitre qu'il faut attendre la publi-
cation intégrale des œuvres de notre docteur, avant de mesurer toute

l'étendue de son influence. A en juger par le nombre des manuscrits, peu d'écrivains ont été plus en honneur chez les Syriens. Si l'on a pu parler d'une action profonde exercée par le *Livre de Saint Hiérothée*, dont il n'existe qu'un seul manuscrit depuis le temps de Barhebraeus, que dira-t-on d'un maître aussi souvent recopié que Jean le Solitaire?" (Pag. 20.) Influxus ille Johannis Solitarii, necnon labor auctoris gallica versionis eiusque editoris merentur, ut Dialogi quam plurimos acquirant gratos lectores.

-mj-

Alois Musil, Křesťanské církve nynějšího Orientu. (Christiana ecclesiae Orientis hodierni.)

Sumptibus editorum boni libri „Velehrad“, Olomucii 1939 (Pag. 145).
20 Cor.

Olomucii constituta est societas editorum boni libri, quae ultimo tempore praeter libros aedificationi ac recreationi lectorum servientes etiam opera stricte scientifica juris publici fecit, veluti Dris Francisci Cinek, *Velehradská basilika*, Dris R. Col, *Biblická hermeneutica*, Dris Aug. Neumann, *K dějinám husitství na Moravě*, Dris B. Vašek, *Katolická akce*, Dris B. Vašek, *Rukojeť křesťanské sociologie*. Ultimum opusculum in illa editione „boni libri Velehrad“ editum, est liber supra indicatus clarissimi professoris Dris Aloisii Musil de ecclesiis christianis Orientis hodierni.

Cum ecclesiis christianis Orientis auctor crebros fovet contactus inde a fine anni 1895. Habitabat in domibus earum, disserebat cum membris diversarum ecclesiarum orientalium, prosequens ac observans non solum liturgias, sed et administrationem, difficultates ac desideria vitae Orientis hodierni. Vindobonae, Pragae, praesertim autem longo tempore commorans in Anglia et in Statibus Unitis A. S. speciali litteraturae studia dedicabat et res gestas hodierni Orientis accurate colligebat. Hoc pacto experienciis ac observationibus acquisitis usus est cl. auctor in libris proprii operis synthetici, cui inscribebatur: „Dnešní Orient“ (Hodiernus Oriens) typis editi a Pragensi Melantricho.

In praesenti libro collectio illa in nova ac expolita, completa editione apparent. Ita aperit mentem suam lectori ipse auctor per modum prooemii (pag. 7).

Brevem conspectum historicum praemittit auctor de evolutione vitae religiosae et politicae Orientis usque ad scissionem a. 1054, quo schisma, non autem haeresis ecclesiam orientalem ab ecclesia catholica separavit. Imperatores byzantini a mahometanis nimis oppressi et ab occidente auxilium implorantes unionem cum Romano Pontifice restaurare desiderabant. Attamen semper magis crescenti bonae voluntati illi immenso modo nocuit quarta expeditio cruciata (1202—1204). Auctor enumerat diversos conatus ad unitatem restituendam (in conciliis Lugdunensi ac Florentino), praesertim autem conatus activitatis missio-

nariae. Quoad illam activitatem mentio fit praecipuae difficultatis inde ortae, quod diversi missionarii (saepe bona fide) uti inferiorem considerantes liturgiam orientalem, postulabant a schismaticis orientalibus susceptionem ritus latini. — Auctor adducit solemnem declaracionem Leonis XIII, qua paritas rituum omnium proclamata est, loquitur de erectione novae congregationis pro Oriente christiano, de laboribus praeparatoriis ad Codicem juris can. orientalis edendum, de Pontificio Instituto studiorum Orientalium. (Pag. 9—12.)

Simili modo uti in capite praeliminari introductionis, procedit clarissimus auctor etiam in sequentibus capitibus, proponendo primo semper lineamenta historica, maxime temporis praesentis in diversis ecclesiis Orientis, indicando postea hodiernum statum ecclesiae Nestorianorum, Jacobitorum, Coptorum, Aetiopum, Armenorum, Maronitarum, christianorum in India. Deinde depingit fata et sortes patriarchatus Antiocheni, Hierosolymitani, Alexandrini, Constantinopolitani, latini Hierosolymitani.

Opus destinatum ampliori circulo lectorum, fundatum in ditissima experientia ac observatione, testatur passim miram eruditionem cl. auctoris necnon clarum et amoenum modum scribendi, quo fit, ut lector libri libentissime ad hunc fontem uberrimae instructionis redire desideret, ubi primos gustus hauserit. Quod ut quam plurimum fiat et ita vera cognitio de Oriente christiano magis ac magis apud lectores „boni libri“ divulgetur, amor erga matrem Ecclesiam augeatur, ex corde intimo exoptamus.

Michel Prof. Dr. A., Amalfi und Jerusalem im griechischen Kirchenstreit (1054—1090). Kardinal Humbert, Laycus von Amalfi, Niketas Stethatos, Symeon II. von Jerusalem und Bruno von Segni über die Azymen.

Orientalia Christiana analecta, 121. Pont. Institutum Orient. studiorum, Romae (pp. 68), 18 lir.

Tredecim paginae libri huius (35—47) continent epistolam Layci clericis missam Sergio abbatii ad defendendum se de azimis contra Graecos. Reproducitur hoc modo unicum manuscriptum ex codice Brux. 1360 (9706—25), quod iam a. Joh. van den Gheyn II 295/97 descriptum est et St. I 88—92 in editione „Humbertische Rationes“ adhuc pressius designatur.

Per modum introductionis editor praemittit quaestiones criticas quoad textum eiusque auctorem et quidem:

1. Posterior influxus polemicarum idearum Humberti in regionibus septentrionalibus (Alger, Langton, Pseudo-Isidori epistola, 5—6).
2. Fortior resonantia in Italia meridionali (Laycus, Bruno Segnensis, Petrus Montecassini, 6—8).
3. Indicatur contentum epistolae Layci secundum capita: Affertur

causa ad epistolam scribendam, quae est amor erga fratres latinos in byzantina oppressione positos, quibus theologicum et morale auxilium praestare vult. Piissimi ac sapientissimi doctores Graecorum in enzimis quidem sacrificia offerebant, attamen numquam romanae ecclesiae azima eripere volebant. (Cc. 1—2.) Corpus Christi vere indivisim sub utrisque speciebus sacrificii connectitur, res pendet a recta fide, non autem a ritualibus usibus. (C. 3.) Attamen quaedam praecellentia puriorum azimorum ex Evangelio necnon ex Apostolo et Vete Testamento consequitur. (Cc. 4—13.) In capitibus 14—18 afferuntur testimonia pro azimis ex traditione.

4. Editor crisi subjicit ideas et argumenta in epistola contenta. Deinde determinat tempus compositionis epistolae, eruit quaestionem de destinatario epistolae, de patria et origine eius, de persona auctoris, de lingua. Agit de responsis Symeonis Hierosol., deinde de tempore, quo epistola Layci conscripta sit, de genuinitate eius. (Pag. 9—33.)

Doctissima introductio illa cl. prof. Michel luculenter ostendit, epistolam Layci clerici esse utilem ad quaestiones in vera luce ponendas, quae suo tempore ecclesiam orientalem et catholicam nimis commovebant, et ad illustranda commercia occidentem inter et orientem in casu particulari et concreto. „Mit dem Briefe des Laycus“, concludit auctor, „wurde also ziemlich Reklame geschlagen. Er wurde den lateinischen Brüdern in Byzanz überreicht, aber auch dem griechischen Patriarchen in Jerusalem“.

„Ist der vorliegende Schriftwechsel auch nicht von besonderer Wichtigkeit, vielmehr ein Nachklang und Abklang, so ist es doch reizvoll zu sehen, wie einerseits Amalfi und Montecassino mit Byzanz und Jerusalem, anderseits Grado mit Antiochien in wechselseitigen Gedankenaustausch treten und damit die Grosskirchen Rom und Byzanz flankieren. Mit Freude kann man bei den jüngeren Briefen durchfühlen, wie der Ton der ursprünglichen Kriegsfanfare durch friedlichere Schalmeien auf beiden Seiten, besonders auf der römischen, abgedämpft wird.“ (Pag. 33.)

-mj-

Lud. Lerchner S. J., Institutiones Theologiae Dogmaticae, vol. I. ed. 3. cura P. F. Schlangenhaufen S. J.

Oenipotente/Lipsiae, Fel. Rauch 1939 (8^o XII et 438 p.) RM 9.—

Cl. auctore L. Lercher mortuo die 5. Aug. 1937, doctiss. P. F. Schlangenhaufen S. J. tertiam editionem vol. I. diligentissime praeparavit. Ordinem quaestionum et theseon fere intactum reliquit, nolens — uti fatetur — ob reverentiam erga probatum magistrum dispositionem tractandorum penitus refundere. Sed laudatas dotes harum divulgatarum Institutionum (solidam doctrinam, claram dispositionem, sobriam expositionem scholasticam ac pietatis sensum) excolere conatus est. Et non absque prospero eventu. Sollerter omnes et singulas sectiones

vere recognovit, et consideratis iis, quae in diversis recensionibus primae et secundae editionis observabantur, quaedam abundantius demonstravit aut clarius proposuit vel aptius disposuit. Singularem attentionem et laudem meretur studium addendi fructus laborum ultimis annis praestitorum in *theologia positiva* (qui in elenco litterario sufficienter indicantur). Tractatus de ecclesia Christi non videbatur editori maioribus multationibus indigere. Mens tamen ipsius erat doctrinae de ecclesia partes fusius exponere. Placet praesertim editorem ubique in hoc tractatu respicere etiam sententias et doctrinas Orientis separati. Sed valde desideratur respectus ad opera cl. F. Grivec et generatim ad Acta septem convetuum unionisticorum Velehradensium. — Editor brevitati aperte studuit: textus plurimi e s. Scriptura et ex enchiridio Denzinger-Umberg indicantur quidem, sed lectores remittuntur ad ipsos fontes, quos utilissime revolvent. Quamvis appendix „de fide“ addita est, numerus paginarum valde reduci potuit. Divisio et forma externa typorum talis est, ut lectores facillime percipiant substantiam dictorum. — Quare non solum omnia quae in laudem primae et alterius editionis dicta sunt repetere licet, imo opus istud magna cum industria recognitum (praesertim quoad partem positivam) ferventissime comendandum censemus.

Cinek.

Dr. Andrija Živković, Katoličko moralno bogoslovje. Volumen primum: Osnovo moralno bogoslovje. Zagreb 1938.

Ad praeclara manualia theologiae moralis ultimis duobus decenniis publicata novum accessit opera Mons. Andreae Živković, a multis annis professoris ordinarii theologiae moralis in Universitate Zagrabiensi, in lingua croata editum. Clerici et laici nationis croatae grato animo excipient hoc novum opus, cum sit primum manuale scientificum theologiae moralis in lingua croata ac expleat lacunam, quae hucusque in litteratura theologica linguae croatae graviter percipiebatur.

Primum volumen Theologiae moralis catholicae, quam edere auctor sibi proposuit, continet theologiam moralem fundamentalem. Annis proximis sequentur duo alia volumina: De virtutibus in genere et de virtutibus theologicis ac cardinalibus in specie necnon volumen De praeceptis divinis et ecclesiasticis.

In parte fundamentali theologiae moralis seu in parte de principiis post introductionem, in qua auctor praeter ethicam protestantium etiam mentionem facit ethicae ecclesiae orthodoxae, agit de fine hominis ultimo, de actibus humanis, de lege, de conscientia et de peccatis in genere. Tractatum de virtutibus in genere cum tractatu de virtutibus in specie in secundo volumine conjunget.

Materia primi voluminis jam editi ita describitur, ut facile percipi possit, ac proponitur accurate, omissis omnibus, quae in lectore libri incertitudinem ac dubia provocare possent necnon iis, quae potius ad

alias disciplinas quam ad theologiam moralem pertinent. Principia moralia proponuntur ac explicantur seculo modo, cum auctor imprimis gravibus ac semper valentibus rationibus a S. Thoma Aquin. ad ductis eadem illustret ac defendat. Ad quaestiones, quae hodie oculos animosque auctorum de re morali scribentium in se convertere debent, suis locis attendit et documenta S. Sedis et opiniones variorum auctorum magni nominis etiam ex ultimis annis apto modo affert. Rationem dicendi ac scribendi observat, quae studium libri facile reddit.

Quae omnia manuale theologiae moralis fundamentalis ab auctore Dre Andrea Živković exaratum valde commendant et laudant. Faxit Deus, ut brevi tempore duo alia volumina Theologiae in lingua croata edi possint!

Dr. O. Karlik.

Aertnys-Damen, Theologia moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio Doct. Ecclesiae.

Taurini 1939, Domus editorialis Marietti.

Ad primum saeculum a canonisatione s. Alfonsi, fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, completum C. A. Damen C. Ss. R., in Athenaeo Pontificio de Propaganda fide Theologiae moralis Professor, decimam tertiam editionem „Theologiae moralis juxta doctrinam s. Alfonsi“ a J. Aertnys C. Ss. R. (1828—1915), anno 1886 prima vice publicatae, procuravit.

Jam de prima editione hujus operis dixit tunc P. Lehmkuhl S. J.: „Opus omnino lucide et moderate compositum dignum est, quod cum magna laude commemoretur“. De quo opere Aertnysiano praeclara merita P. Damen sibi comparavit, qui post mortem auctoris Aertnys et post publicationem Codicis juris canonici manuale hoc jam quinta vice anno currente edidit ac feliciter complevit vel meliore modo in multis partibus proposuit.

Etiam in nova editione multa inveniuntur, uti auctor ipse in prae fatione confitetur, quae aut nunc primum aut meliore saltem modo tractata sunt. E. g. P. Damen adducit Elenchum bibliographicum (Periodica, Lexica, opera de historia Ethicae, opera generalia majoris notae etc.), addit tractatum de fine hominis ultimo, cum in lumine finis ultimi supernaturalis omnis activitas humana considerari ac dijudicari debeat; tractatu de statu clericali restituit partem de officiis Episcoporum, quae quidem in primis editionibus a P. Aertnys editis aderat, at in ultimis quattuor editionibus omissa est; articulum de subjecto legis ecclesiasticae complet in pag. 128 per scholion de legibus, quibus subjiciuntur fideles Orientales; pag. 218 explicat materiam justitiae socialis, quae continet solutionem sic dictae quaestioonis socialis. Praeter alia additamenta tangit etiam quaestionem de suppletione jurisdictionis in casu erroris communis Orientalium, de impotentia ex sterilisatione forte oriunda, de continentia conjugum periodica.

Nova editio Theologiae moralis ab auctoribus Aertnys-Damen conscriptae retinuit ac auxit ea, quibus editiones antecedentes excellebant, praesertim claritatem in proponenda materia et practicam utilitatem pro confessariis ac pastoribus animarum. Quapropter etiam uti manuale practicum pro studiosis in seminariis theologicis et pro indigenitiis curae animarum commendatur.

Dr. Ol. Karlik.

L. Le Fur, *Les Grands Problèmes du Droit*. Paris, Libraire du Recueil Sirey, 1937, pp 623.

Liber iste pretiosus est collectio articulorum varias quaestiones iuris pertractantium: De fundamento iuris. Definitio iuris. Notae essentiales iuris cum aliis normis vitae socialis comparatae. Jus naturale (rationale, objectivum) eiusque functio in formatione iuris positivi interni et internationalis. Jus naturale et realismus. Jus individuale et sociale. Institutio: eius natura et functio. Suprema potestas rei publicae (la souveraineté) eiusque limites necessarii. Regula iuris in iure internationali. Problema nationalismi et internationalismi secundum ethicam et ius naturale. Patria, res publica, communitas internationalis. Ecclesia et ius gentium. Ius, ethica, iustitia.

In philosophia iuris hodierna plurimi et gravissimi errores grassantur. In hac materia difficulti opus perdocti professoris L. Le Fur omnibus, qui veram doctrinam volunt cognoscere, optime inservit: sententias proponit rectae philosophiae et doctrinae catholicae plane conformes, errores modernos suaviter in modo, sed fortiter in re refutat, veritates philosophiae perennis in materia iuris nova luce illuminat, novisque argumentis — prouti hoc tempora nostra exigunt — corroborat.

Dr. Fridericus Vašek.

Neumann Augustin ThDr. O S. A., *K dějinám husitství na Moravě* (ad historiam husitismi in Moravia). Velehrad, nakladatelství dobré knihy v Olomouci. 1939 (158 pag.): 25 Cor.

In hoc opere describitur prima vice historia belli hussitici in Moravia in distincto labore monographicō a professore ordinario theologiae facultatis a ss. Cyrillo et Methodio Olomucensis, qui uti discipulus clarissimi Sedlák quasi ab juventute occupatur studiis aetatis hussiticæ et laboribus assiduis in archivis, quae documenta ad illam aetatem pertinentia conservant.

* Opus hoc est ideo fructus laboris indagatorii quinque lustrorum, fructus maturus et magni meriti, inquantum affert documenta ad removendos multos errores, qui in historiam huius aetatis irrepserunt.

In historia sic dictae aetatis præhussiticæ (præparatoriae) narratur status ecclesiae eiam in Moravia, quae tunc temporis multa patiebatur detrimenta per provisiones beneficiorum, per diversas sectas necnon per magnum schisma occidentale. Ex ipsa historia belli hussi-

tici elucet magnum momentum episcopi Olomucensis et suorum vasallorum pro defensione fidei catholicae. Tristissimum hoc tempus per multos martyres decoratum est. Multae novae contributiones habentur ad melius cognoscendas negotiationes concilii Basiliensis cum Hussitis unionis ecclesiasticae causa.

Auctor demonstravit (contra historigraphos Palacký, Tomek, Urbánek) Hussitis concessam esse communionem sub utraque specie ad instar privilegii, sed solummodo illi, tunc viventi generationi. Legatio nempe concilii numquam respondit ad interrogationem Hussitarum, utrum illa concessio etiam pro futuris generationibus esset valitura.

Alter eruditus historicus ponderando opus Dris Neumann ad hanc conclusionem pervenit, scribens (in Hlídka, 56., num. 11, pag. 358): „Opakujeme, že kniha Neumannova je pokladníci velice cenných poznatků. Měl by ji čísti každý, kdo má živý zájem o kulturní historii naší vlasti netoliko v ústech, nýbrž i v srdci.“ Repetimus affirmantes, librum Dris Neumann esse thesaurum valde pretiosarum cognitionum. Legere deberet illum librum unusquisque eorum, quorum historia culturae nostrae vivide interest non in ore tantum, sed in corde.“ — Gratias agentes cl. auctori pro omnibus laboribus ac sudoribus, quibus per quinque lustra peracta opus suum possibile reddidit, ad sequentes indagationes historicas lumen ac auxilium divinum grati exoptamus: ad plurimos adhuc annos!

-mj-

Analecta Bollandiana. Tomus LVII., Fasc. III. et IV. Ediderunt Hippolytus Delehaye, Paulus Peeters, Mauritius Coens, Baldwinus de Gaiffier, Paulus Grosjean, presbyteri Societatis Jesu. Bruxelles 1939. Quo fasciculo continentur: Francois *Halkin*, Le mois de janvier du „Ménologe imperial“ byzantin, p. 225, C. *Brunel*, Vita, Inventio et Miracula S. Enimiae, p. 237, Paul *Peeters*, La Passion de S. Pierre de Capitolias (mortuus 13. Januarii 715), Johannes *Mac Erlean*, Silva Focluti, p. 334, Paulus *Grosjean*, Vitae S. Roberti Knaresburgensis. I. (1. Vitae antiquioris fragmenta 365, 2. Vita recentior 375) et ultimo: *Bulletin des publications hagiographiques* ap. 401—469. NB. Additur Index Sanctorum, et index auctorum, quorum opera in hoc tomo recensita sunt.

ACTA
ACADEMIAE
VELEHRADENSIS

ANNUS XV

OLOMUCII 1939
SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS

INDEX

<i>Dr. Joannes Chrys. Jaroš C. ss. R.</i> : Impedimenta matrimonialia apud Bulgaros unitos	1, 164, 258
<i>P. G. Hofmann S. J.</i> : Documenta de theologis concilii Florentini	65, 151, 157, 181
<i>P. G. Hofmann S. J.</i> : Humanismus in concilio Florentino	193
<i>Dr. Joseph Luska</i> : De argumentis Eugenii Akvilonov contra conceptum ecclesiae prout ea est societas	228
<i>Dr. Ignatius Vajs</i> : Mešní řád	89
<i>Praeses moderator Conventuum Velehradensium</i>	85

VARIA

<i>Dies pro Oriente Christiano</i>	74
<i>De anniversario concilii Florentini</i>	77
<i>Activitas Ordinis s. Dominici in terris s. Venceslai ab a. 1919</i>	80
<i>De celebratione jubilaei s. Vladimiri</i>	176

RECENSIONES

<i>Dušpastyr</i> (—a); <i>Pravoslavný puf</i> (— a); <i>Prioratus ordinis sti Benedicti</i> (—a); <i>Nova organisatio ecclesiae orthodoxae</i> ; <i>Ivan Marianov</i> , Aby všichni jedno byli (—a); <i>Dr. Fr. Cinek</i> , Basilika velehradská (—a); <i>Hausherr Irénée S. J.</i> , Jean le Solitaire, Dialogue sur l'âme et les passions des hommes (-mj-); <i>Alois Musil</i> , Křesťanské církve nynějšího Orientu (-mj-); Prof. dr. A. Michel, Amalfi und Jerusalem im griechischen Kirchenstreit (-mj-); Lud. <i>Lerchner S. J.</i> , Institutiones Theologiae Dogmaticae (Cinek); Dr. Andrija Živković, Katoličko moralno bogoslovje (dr. Karlík); <i>Aertnis-Damen</i> , Theologia moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio Doct. Ecclesiae (dr. O. Karlík); L. <i>Le Fur</i> , Les grandes Problèmes du Droit (dr. Vašek); Dr. <i>Neumann Augustin O. S. A.</i> , K dějinám hussitství na Moravě (-mj-); <i>Annalecta Bollandiana</i>	306
---	-----

In conventu generali Academiae Velehradensis,
die 13. Decembris 1939
celebrato novum praesidium Academiae ad quatuor annos
electum est:

Praeses – protector:

Exc. D. Dr. Leopoldus Prečan,
archiepiscopus, metropolita Moraviae.

Vicepraeses:

Msgre Dr. Franciscus Cinek,
profesor univ. Olomucensis

Secretarius: Dr. th. et stud. or. *Jos. Luska*, supplens Olomucensis. * **Vice secretarius:** Dr. Rudolphus *Col*, professor relig. Olomucensis. * **Arcarius:** Jaroslav *Šumšal*, vicesuperior seminarii Olomucensis.

Tria membra praesidii: Prael. Msgre Dr. Thomas *Hudec*. * Msgre Franciscus *Jemelka*. * Msgre Dr. Josephus *Matocha*.

Revisores rationum: Josephus *Glogar*. * Dr. Josephus Holubníček.

Praeses sectionis cyrilometodianaæ: Dr. Franciscus *Cinek*.

Praeses sectionis orientalis: Msgre Fr. *Jemelka*.

Praeses sectionis occidentalis: Msgre Dr. Joseph *Matocha*.

In deposito Academiae Velehradensis adhuc supersunt:

Slavorum litterae theologicae:

Conspectus periodicus, Pragae. (Incomplete!)

Tom. I 1905

Tom. III. 1907

Tom. V. 1909

Tom. II. 1906

Tom. IV. 1908

Tom. VI 1910

Acta Academiae Velehradensis:

(Incomplete.)

Tom. VII. 1911 fasc. 1. – 2., fasc. 3., fasc. 4. 20 C.

Tom. XI. 1920 – 1922, 15 C.

Tom. VIII. 1912 1. – 3. fasc. 10 C.

Tom. XII. 1. – 2., 1932

Tom. IX. 1913 1. – 2. 5 C.

Tom. XII. 3. – 4., 1934.

Tom. X. 1914 – 1919. 30 C.

Acta Conventus Velehradensis:

Acta I. Conventus Velehradensis. 10 C.

Acta IV. Conventus Velehradensis, 40 C.

Acta II. Conventus Velehradensis. 10 C.

(leg. 50 C.)

Acta III. Conventus Velehradensis. 15 C,

Acta V. Conventus Velehradensis, 50 C.

Acta VI. Conventus Velehradensis. 50 C.

Opera Academiae Velehradensis:

Tom. II. *Konstantinus-Cyrillus und Methodius, Die Slavenapostel* von Fr. Snopek, Kremsier 1911. 30 C.

Tom. III. *Nomenclator (incompletus).*

Tom. IV. *Acta conventus Velehrad.* III. uti supra.

Tom. V. *Die Slavenapostel, Kritische Studien* von Dr. Franz Snopek, Kremsier 1918. 30 C.

Tom. VI. Trudy. *Acta Conventuum Velehradensium in lingua russica.* 10 C.

Tom. VII. Popov, *Katechismus (germanice).* 5 C.

Tom. VIII. Vladimír Sergijevič Solovjev, *jeho život a působení* od K. Jindřicha. 5 C.

Tom. IX. Dr. Fr. Grivec, *Pravoslaví*, ze slovinského rukopisu přeložil Martin Chudoba, Kroměříž 1921. 5 C.

Tom. X. *Byzantinské pojímání církevního prvenství s dodatkem o pravověrnosti svatého Cyrila a Metoda* od Fr. Grivce, univ. prof., přel. Martin Chudoba, Kroměříž 1922 (exhaustum.)

Tom. XI. *Acta V. Conventus Velehradensis* 1927. 50 C. (2 Dol. am.)

Tom. XII. Dr. Grivec, *Die hl. Slavenapostel Cyrilus und Methodius.*

Tom. XIII. Dr. Bonifác Segeša, *Církev východní a západní. Z jazyka řeckého český překlad.* 25 C. (Socii A. V. 16 C.)

Tom. XIV. *Acta cursus Pragensis* 1930. Prejum 38 C.

Tom. XV. Rudolf Hurt, *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě* 1934. 60 C.

Tom. XVI. Dr. Vincenc Pořízka, *Solovjev a Církev.* 1935. 15 C.

Tom. XII. Dr. Jos. Vajs, *Evangelium sv. Jana.* Text rekonstruovaný. 45 C.

Tom. XIII. Dr. R. Hurt: *Dějiny cisterciáckého kláštera na Velehradě.* Díl II. 1938. 60 C.

Academia Velehradensis
Olomouc ČSR. Facultas theologica a.s. C. et M.